DE MORBIS BILIOSIS ANOMALIS,

OCCASIONE EPIDEMIÆ,

CUJUS HISTORIA PRÆMISSA EST,

Ab anno 1776 — 1780 in Comitatu Tecklenburgensi observatis.

ACCEDIT

DUORUM INFANTUM MORTIS CAUSA PER ANATOMEN DETECTA.

AUCTORE

LEON. LUDOV. FINKE M. D. atque
Comitatus Tecklenburgensis Physic.

Monasterii Westphalorum
SUMPTIBUS PHILIPPI HEN. PERRENON,
M. DCC. LXXX.

Non est fateri, rerum natura, largius mala, an remedia genuerit.

PLINII hist. natur. lib. 8.

VIRO ILLUSTRISSIMO

ATQUE EXCELLENTISSIMO DOMINO

CAROLO ABRAHAMO

L. B. DE ZEDLIJZ

AUGUSTISSIMI EL POTENTISSIMI

BORUSSORUM REGIS

ADMINISTRO STATUS ET JUSTITIÆ INTIMO,

RERUM ECCLESIASTICARUM ATQUE CONSISTORII REGII PRÆSIDI PRIMO,

REGIARUM ACADEMIARUM CURATORI SUPREMO,

BIBLIOTHECÆ REGIÆ REGIIQUE ANTIQUITATUM

NUMISMATUM CET. ARMARI DIRECTORI EMINENTISSIMO

REL. REL.

DOMINO ATQUE FAUTORI SUO LONGE GRATIOSISSIMO

S. D. P.

LEON. LUDOV. FINKE.

Quem nomini TUO splendidissimo atque musis dilectissimo inscribere gratiose permisisti libellum VIR ILLUSTRISSIME atque EXCELLENTISSIME! serius equidem, quam par est, manibus TUIS nunc supplex offero; spero autem confidoque, me ejus moræ benignam abs te veniam vel eo nomine impetraturum esse, quod, ut alias taceam rationes, necessarium esse duxi, longius temporis spatium in hocce qualicumque opusculo consumere, ne istud nimis tenue et exiguum, atque adeo

nitido nominis TUI splendore plane indignum judicaretur.

Quod si qua vero vel levissima in parte, mæcenas indulgentissime! qui et ipse omni eruditionis genere admirandum in modum excultus es, et faventibus magni atque sapientis FRIDERICI auspiciis laudabiliter in id tota mente omnique animi impetu incumbis, ut artium disciplinarumque studia magis magisque vigeant atque floreant, paulo supra tyronis modulum sapere videar: TIBI persuadeas, non in eum, qui muniis plane impar sit, professionem medicam in academia Lingensi, esse collatam.

Accipe igitur, optime et maxime fautor! serena fronte, ac ea, qua soles, benevolentia, hoc quantulumque opuscu-

lum tanquam non fucatum gratissimi in TE atque officiosissimi animi indicium, atque publicum quoddam argumentum; neque, obsecro TE, plurimum valenti TUA benevolentia, favore, gratia me prosequi et dignari in posterum desine. Supremus rerum omnium moderator TIBI, VIR ILLUSTRISSIME atque EXCELLENTISSIME! nestoreos largiatur annos, TEque in commodum atque salutem reipublicæ, ecclesiæ, orbis litterati salvum atque incolumem servet quam diutissime.

Scribebam Tecklenburgi mense Julii

CIↃIↃCCLXXX.

AD LECTOREM.

SI, quid ad editionem harum observationum medicarum me impulerit, comperire aveas; AMICE LECTOR! hoc adhortationibus doctorum virorum atque amicorum unico factum esse, scias.

Nam cum nulla in parte homines magis viderem cœcutientes, quam si de propriis cogitationibus judicium rectum ferre satagunt, siquidem vel supra dignitatem eas evehunt hi, vel infra modum deprimunt alii, amore timoreve capti, ut recte hinc olim philautiæ ponendorum cancellorum justus arbiter *Terentius* pronunciaverit: *ita natura hominum comparata est omnium, aliena ut melius videant ac dijudicent quam propria*: jam dudum apud me statui, judicium super cogitatis meis penes illos collocare, qui litterarum secreta callent, et non alio quam veritatis amore tenentur.

Hac motus, antea doctorum virorum et in arte Machaonia versatissimorum sententias super præsentibus paginis, ne crudam atque indigestam molem L. B. traderem, colligere e re esse putavi.

Precibus meis hinc adii Viros illustres atque in medicina vere antesignanos, *Leidenfrostium Baldingerum*, *Metzgerum*, in quibus an benevolentiam magis, quam doctrinæ amplitudinem admirer, nescio, qui has meas animadversiones dignas æstimarunt, ut cum orbe litterato communicarentur.

Ad manus mihi sunt horum celeberrimorum virorum amicitia atque benevolentia plenæ epistolæ, in quibus nudæ huic descriptioni epidemiæ Tecklenburgensis, cum ornato dicendi scribendique genere parum polleam, adstipulationem benevolam, quod grato animo recordor, præbere haud dubitaverunt.

Facultatem mihi dedit ill. *Baldingerus*, epistolæ responsoriæ typis mandandæ atque huic loco inserendæ. Sed vereor sane, ne ita facturus, laudum mearum præco videar magis esse, quam ut assensum eruditissimi viri ostendam.

Factum est inde, ut hujus epistolæ, cui avare pretium statui, finem, ne de sententia doctissimi viri apud lectorem dubium restet, hic tradere tantum non erubescam.

Gratulor Tibi, hæc sunt verba Cel. *viri*, *ex animo doctorum virorum applausum, sed magis gratulor Tibi emolumentum artis nostræ, quod auges sane libro Tuo edito, quem medicis practicis omnino utilissimum fore, censeo.*

Permittat etiam vir illustris atque laude mea major Cel. *Leidenfrostius*, ad quem partem libri, perlustrandi causa, itidem dederam, ut litteras suas, humanissime ad me scriptas, ex parte earum aliqua, tanquam testes veritatis, quia *magni* hujus *viri* arbitrium atque existimatio apud lectorem haud parum valebit, adducam.

Obtuleras, inquit Cel. *Leidenfrostius*, *facultatem notandi, si quæ deprehenderem, in quibus ad justum veritatis æquilibrium aliquid deficere videri posset. Eamque mihi sumsissem libertatem, si quid offendissem, vel minima notula dignum. Remitto igitur exemplar absque mutatione, etc.*

Auctoritate tantorum virorum fretus, quid in hoc scripturæ genere ingenium meum possit,

experiri decrevi : neque mihi nunc locus est cogitandi, has paginas, omni quidem elegantia Attica destitutas, sub quotidiano tamen usu enatas, dum jam inde ab aliquot annis hoc saxum volvam, nulla in parte apud lectorem hæsituras esse; præsertim cum ad enarrationem morbi nemo magis possit esse idoneus, quam qui, dummodo in observando non plane hebes sit, quotidie inter ægros versatur.

Non equidem inanis me tenet arrogantia, in observando eam me acquisivisse ingenii solertiam, quam in medico speculatore oppido necessariam esse, depredicavere illust. viri *Zimmermannus* atque *Haenius*, Attamen viam illam semper tenui, quam sana, tranquilla, modesta ratio, usu et periculis subacta, experientiæ et historiarum luce collustrata, mihi monstravit. Inter observandum dispersas atque disjectas partes veritatis collegi; in collectis convenientiam quandam deprehendi; propter convenientiam, morborum biliosorum familiam auxi.

Atque sic enatum est leve hoc opusculum; quod L. B. æqui bonique consulat, atque si velit, in rem suam vertat.

Scribebam Tecklenburgi mens. Jul. CICIOCCLXXX.

INSTITUTI RATIO.

QUANTA nostris temporibus, post continuationem medicinalium observationum, quas incomparabilis *Baco*, omnium scientiarum, quin et medicinæ strenuus judex, promotor et augur, collocavit inter desiderata sui ævi, ceperit incrementa ars salutaris, neminem, cui hujus doctrinæ conditio nota, latere arbitror.

Etenim adeo nostro tempore aucta sunt observationum volumina, ut omnia quæcunque humana fert imbecillitas, comprehendere, nec his ultra quidquam adjici posse, videantur. Quid quod! id ipsum etiam, quod nunc tracto, argumenti genus, tam tritum tamque vetus est, ut ipsam medicinam, quando serius coli cœpit, ætate æquet. Sed hac vetustate non obstante, cum dies diem doceat, studio adhuc memorabiles observationes esse colligendas, ut omnem morbi ambitum, quamvis

is ipse morbus non lateat, rite pernoscamus, nemo ibit inficias. Nam, monente eodem divo VERULAMIO, *multa in modo rei et circumstantiis ejus nova, quæ in genere ipso nova non sunt* (1).

Simili res modo comparata est cum morbis ex bile oriundis, nunc vero a me describendis. Nimirum, genus ipsum morbi, quod a bile nomen habet, inde a temporibus *Hippocratis*, ad nostra usque, in scriptis medicorum plurimis annotatum repetitur; adjectique occurrunt varii hujus morbi modi, ejusque species variæ. Nondum autem penitus hanc rem exhaustam esse, modorumque hujus morbi descriptiones adhucdum esse augendas, continuandasque medicinalium narrationes, multis modis, in egregia Dissertatione: *de amplitudine generis febrium biliosarum*, demonstrare annisi fuerunt Ill. *Schroederus* et Cl. *Lud. May*; quam nuper recudi curavit Cl. *Ackermann* in opusculis viri eruditissimi.

Voluerunt enim hi doctissimi viri, inter morbos febriles, febrem biliosam, ad genus summum, quod plures species comprehendit, esse evehendum; doluerunt que, a multis Scriptoribus, etiam a nonnullis, qui nostra ætate artis compendia scripserunt, biliosam febrem

(1) De dignitate atque augmentis scientiar. Argentor. 1654.

pro inferiori quadam specie, haberi, ejusque cum aliis mixtæ indolis mentionem vix ullam fieri. Variis hinc complicationibus, tanquam speciebus, antea prætervisis, hujus morbi familiam egregie auxerunt, laudati hi viri. Haud diu post autem in *Academia Halensi*, multis nominibus laudanda Dissertatio Cl. *Selle*, *methodi febrium naturalis rudimenta* exhibens, prodiit, quæ plures species febris biliosæ, ex scriptoribus collectas et in ordinem naturalem redactas, refert; deinceps vero Cl. *Selle* hanc doctrinam perpolivit in libro, cui titulus : PYRETOLOGIA.

Tantum autem abest, ut omnes ac singulas species descripserit auctor, ut plures potius prorsus omiserit. Nec hoc aliter fieri potuit, cum nemo ingenio comprehendat morbum, qui non antea sensibus obvius extiterit, vel, qui illum scriptis mandaverit, offenderit. Interim tamen, in tanta auctorum abundantia, jure meritoque desideratis nostri temporis adnumerandus est liber, qui omnia vitia bilis, indeque orta mala, fusius paulo, quam antea factum est, exponeret, nexu individuo.

Nimis audacter, me talem inopiam accusare, credentem, rogatum volo, ut præsentes, quales quales sint observationes, omni *tamen* fide candoreque, absque styli ornamento enarratæ, cum aliorum comparare velit; posteaque, liber ab omni partium studio, indicet, utrum

species quædam, nam de omnibus id affirmare non audeo, morbi biliosi supersint, prorsus ab aliis prætervisæ, jam vero a me descriptæ.

Contigit mihi nempe occasio per quatuor annos continuos, nempe ab anno 1776---1780 in comitatu Tecklenburgensi, et in vicinis locis, statum morbi biliosi populariter grassantis, multumque devastantis observandi, ut mirum sane esset, in tantâ ægrotantium multitudine, et in tam longo temporis intervallo, nihil plane quidquam memoria dignum, vel vidisse, vel annotasse. Idque eo magis foret mirum, cum esset morbus, qui ab ordine ab auctoribus designato, ne dicam ordine naturali: *cum et sua morbus quilibet habeat symptomata, sibi propria, necessaria, semper eadem, quæ et præsentem declarant, et cum ex natura ejus profluant, inque diversis ideo diversa* (1), identidem deflecteret quam longissime, meritoque hinc proteiformis dicendus. Nam haud rari, morbum accuratius indaganti, obvii extiterunt casus, qui, quoad characterem externum, ad hos modo, modo ad alios morbos, referri; exuta autem, veram morbi naturam tegente larva, morbis biliosis, suo quodam adnumerari debebant jure. Id non solum aperta, per signa diagnostica, edocebant vestigia bilis; quamvis in nonnullis, quod

---

(1) Gaubji instit. Pathol. §. 835.

itidem sæpenumero contigit *Cel.* van den *Bosch* *in epidemia verminosa* (1), ratiocinando tantummodo, de ejus existentia sim convictus; sed quæ instar lapidis probatorii sunt, morbi eventus; rerum sex non naturalium applicatarum vel bonus vel pravus effectus; et ipse denique methodus medendi, rem extra omnem dubitationis aleam posuerunt. Neglecta enim a prava bile desumenda indicatione, sed ad morbi nomen potius quam ad veram ejus indolem, directa medela, cum multis, qui ante me hunc medentium errorem reprehenderunt, inter quos Cel. van den *Bosch* tanquam præcipuum nomino, funestum lugubremque sæpe dolui eventum: idque non tantum in morbis a mera bile oriundis, sed magis etiam in aliis, cum febre biliosa complicatis.

Tanta enim erat in hac epidemica constitutione corporum ad bilis degenerationem proclivitas, ut tunc temporis, vix morbum alium, sine symbolo bilis videres.

Instituti rei ratio non est, ut his complicationibus in præsenti prolixe inhærere velim, ut malim potius *anomalias* febris biliosæ, ab illis diversas, enarrare. Quum autem isti morbi haud longe a calcanda via absint, etiam has paucis verbis comprehendam, necessitate qua-

---

(2) Editio nova, curante J. Chr. Ackermann. Norimb 1779.

dam coactus, ut differentia, inter morbum hujus generis anomalum atque complicatum, lectoribus pateat eo magis.

Prima, quæ nunc movetur, quæstio hæc est, ut ostendatur, quænam sit morbi biliosi anomali vera idea.

Morbi biliosi anomali vocabulo comprehendo omnes morbos a causa biliosa febrili natos, et sub larva alius longe diversæ ægritudinis, sive sit acutæ sive chronicæ indolis, subdole latentes (1). Pro ratione atque similitudine causæ, minime vero pro symptomatum convenientia, hoc morborum genus esse constituendum, sanioribus principiis medicis imbutus, minime reprehendet, cum jam diu *Themisonis* explosa sit sententia: nullius causæ notionem ad curationem quidquam pertinere sistens; sed magis *Celsi* effatum sit amplectendum, qui *eum recte curaturum* profitetur, quem *prima origo causæ non fefellit.* Quum autem character specificus morbi biliosi anomali vel a morbi tenore, vel a symptomatibus insolitis dependeat, omne studium in eo est collocandum, ut neutiquam cum morbis complicatis biliosis, in quibus, præter causam biliosam, accuratiori indagatione, adhuc alia longe ab hac diversa causa dignoscitur, con-

---

(1) Infra realitatem hujus notionis fusius demonstrabo.

fundatur, morbusque complicatus pro morbo anomalo ventiletur.

Neque minus committendum, ut lectori symptomata febris biliosæ, quorum tanta varietas extat, ut in eo sibi parem vix morbus alium habeat, et verius de corrupta bile, quam olim de utero valeat proverbium: quod sit sexcentarum ærumnarum, et tot malorum causa, pro morbis hujus generis anomalis, obtrudantur.

Accidit etiam sæpe numero, ut ex reliquiis febris biliosæ, horrenda mala remanerent, quæ non satis cautum deciperent, ut hæc pro morbis anomalis haberet. Sedulo autem a me esse cautum, hac similitudine non decipi, lege sancita, nullum alium morbum hic admittere, in quem præfata notio non quadret, ex nonnullis observationibus reliquiarum febris biliosæ, parti hujus operis priori adnexis, patebit clare atque perspicue.

Ne autem quis me criminis fallaciæ causæ accuset, quod referente *Baglivio* contigit *Henrico Screta*, qui omnes febres ex unita causa, ex inflammatione nimirum ortas credidit; vel aliis, inter quos primus est *Andry*, qui in omnibus ferme morbis causam animatam videbant; neque putet quis, me multos morbos pro biliosis ventilasse aliunde ortos, huic suggero: hos morbos in constitutione epidemica febris biliosæ esse enatos tantum;

dein suis signis diagnosticis, infra enumerandis, ab aliis potuisse discerni; et tandem, hos morbos, vix ac ne vix quidem aliis quam contra bilem adhibitis medicamentis, vel parum molliri.

Cum observatoris magis, quam systematici muneribus fungar, meæ partes non fuere, omnem hanc rem penitus exhaurire, vel omnes species morbi biliosi anomali, huc usque cognitas enumerare; dein etiam non omnes atque singulas species exhaurit mea, qualiscumque sit experientia; sed quæ multarum aliarum specierum natura sit, apud auctores, qui de his scripserunt, relatum legitur. Ex multitudine horum morborum aliquos tantummodo describendos mihi sumpsi, partim quod plane nondum, quantum ego saltem scio, apud medicos descriptos extent; partim etiam, quod quædam memoria digna contineant, et rarioribus sint adnumerandi. Fallor, vel ex ipsa rei tractatione elucescet, in praxi medica, ad absconditam materiam biliosam summopere esse attendendum, frequentioremque esse bilem morborum causam, quam olim credidere multi. Sane hinc arbitror: annomaliam morborum biliosorum haud minorem mereri attentionem, quam excitarunt apud doctos viros arthritis anomala a *Musgravio* graphice descripta; vel a *Mortono* aliisque celebratæ febres proteiformes; vel denique potentia

animata morbosa a Cel. van den *Bosch* plurimum investigata.

Neque hoc absonum videbitur perpendenti, ex unica causa, tam varia atque diversa mala oriri posse, quæ non nisi hac sublata, tolli nequeunt, quin etiam, præpostera abhibita medela, omne medentium studium solent frustrari, non secus ac in morbis verminosis sæpe usu venit. Exclamare hinc subinde cum Cl. van den *Bosch* debebam : *insueta perquam animadvertebantur symptomatæ, quæ ordinariæ medendi methodo minus æquo parebant : etiamsi ex nomine et singulari morborum deducta, secundum artis normam adhiberentur* (1).

Desiderant autem morbi anomali a me descripti non adeo singularem et methodum medendi, et victus rationem, valde a medela febris biliosæ discrepantem, ut hic singulari descriptioni indigeant : sed iisdem etiam medicamentis, eademque victus ratione, quibus illis medemur, hic etiam uti possumus; interim tamen pro cujus liber morbi natura delectum quemdam esse instituendum, sedula me docuit experientia. Istam autem in medendo convenientiam, de materiæ morbidæ, ne dicam identitate, saltem similitudine egregie testari, quis non videt? Alia similitudine in methodo medendi commoti sunt magni in arte viri, ut

(1) L. c. p. 13.

MORTON, TORTI, WERLHOF, febres quasdam proteiformes, cum intermittentibus ejusdem naturæ censere et illis, uti intermittentibus solemne est, mederi. Nonne eadem valet in nostris, quos descripsi, morbis argumentandi ratio?

Nihil medicinam magis posset promovere, quam si velimus illam ab inutilibus ambagibus atque verborum lenociniis, quibus ars salutaris nondum plane liberata est, ad simplicitatem revocare. Optime hoc fieret, monente *Baglivio*, *accurata historia causarum, quæ hos et non alios morbos fere semper, aut frequentius tamen producunt.* Quamvis id votum sit, neque a me fortassis satis præstitum, tamen usu qualemcunque meum laborem, hac in re, plane destitutum fore, neminem, chamæleontis unius causæ effectus, rite perpendentem, et in indagine causarum occupatum, affirmaturum esse, reor. Tantus autem absum, ut materiam exhaustam tradidisse æstimem, ut doctioribus potius ad augendam excolendamque tradant, satis contentus, me hic non prorsus hallucinatum esse.

Restat ut moneam, ad rem ipsam pertinere, proprietates ipsas febris biliosæ constitutionis nostræ epidemicæ, nosse: primum, ut lectores sciant, qualis morbus fuerit; dein ut liceat mihi investiganti morbos biliosos anomalos, subinde ad eam provocare, neque necesse sit,

semel dicta frequentius repetere. Fieri hoc aliter non potest, quam, ut historiam epidemiæ nostri comitatus paucis depictam, tanquam normam, anomaliæ describendæ præmittam.

Antequam autem id præsto, vel dico, quibus præcedentibus morborum timor subsit; et qualis morbi decursus fuerit: non alienum videtur, antea exponere, qui locorum situs; quæ tempora anni; quæ victus ratio; quæ tempestatum vicissitudines; quæ stadia ætatis, et qualis sexus periculis maxime opportuna fuerint. Omnis itaque tractatio duas præcipuas habebit partes; quarum prior aget de ipsa febre biliosa; altera vero de morbis hujus census biliosis anomalis.

HISTORICA COGNITIO

Epidemiæ Tecklenburgengis annor.

1776 --- 1780.

NON ignoro quidem, dari genus hominum, cui horrendum nomen Guestphalia sit; attamen illuc satis bene vivitur dummodo incolumitas non desit. Hac vero per quatuor annos continuos, nempe ab anno 1770 --- 1780, orbatus fuit comitatus Tecklenburgensis,

minor regio Guestphaliæ ; quatuor milliaribus complexa : montibus divisa ; una parte episcopatu *Osnabrugensi* ; altera vero *Monasteriensi* inclusa ; sub FRIDERICI IIdi magni Regis, glorioso sceptro, cum magna incolarum frequentia, sarta tectaque degens.

Pauci incolarum habitant in urbibus : nam maxima pars rure vivit atque terræ munere, agros colendo, vescitur, quorum ædificia culmo tecta, pecudibus alendis atque agriculturæ apta, dulcedini vitæ non valde blandiuntur. In his tamen contentos agricultura, quæ hominem sanum præstat, exercet viros ; cum è contrario lintei textura, et pecudum cura feminis sint relicta. Magna hominum multitudo quotannis Hollandiam petit, undè fessa labore, cui subeundo par est, aurum reportat, morbosque. Est sane indefessum genus hominum, corpore robustum, animo sincerum, nec multum seculi vitiis contaminatum, vel a prisca simplicitate delectum ! Paucis contenti sine apparatu atque blandimentis diu post tempora *Taciti* expellunt famem, atque vivunt pane nigro ; lacte ; placentis ; carne suilla, vel bovina, fumo indurata ; brassica oleracea, raro capitata ; rapa ; radice dauci ; fabis ; pisis ; phaseolis ; imprimis autem solanis tuberosis. Ægrotantium atque parturientium cibus est multo cum pane nigro decocta cerevisia, quam etiam, repugnante sæpe natura, decum-

bentibus in larga quantitate ingurgitant, rem conclamatam esse putantes, si vel unicum diem sine cibo viverent. In morbis levioribus fere nunqnam, in vehementioribus malis autem raro medicum accersunt; at nunquam ante id tempus, de quo dicit CELSUS: *in malis magnis non alia spes est, quam ut impetum morbi trahendo aliquis effugiat, porrigaturque in id tempus, quod curationi locum præstat.* Longe autem magis damnandus est abusus spirituosorum, præsertim in febribus, quibus nunquam non tunc temporis utuntur. In multos hinc *Epicuri*, qui morbo jam conclamato decumbens, meri largiori haustu, ventriculum atque sensus obruisse fertur, quadrat epigramma:

Stygias ebrius hausit aquas.

Alterum æque damnandum vitium est, quod ferme sibi religioni ducant, venæ sectionem in febribus cujuscunque indolis, non instituisse.

Morborum principia purgantibus aloëticis propellere festinant, vel magis turbant: declinante autem morbo, plane quiescunt, neque quidquam medicamentis moveri sinunt, virium jacturam inde timentes, vel ut rectius dicam, somniantes. Inde Lerna malorum post febres biliosas, atque mirabiles morborum metaschematismi!

Cæteroquin levi malo non terrentur, neque subinde ægrotant, quod eo magis mirum est, cum cœlo iniquo sæpe utantur; neque vale-

tudinis curam habeant, atque copia paludum atque stagnorum, lino cannabique macerandis accommodatorum, juxta domos adsint. Multum incolumitati adjicit absentia illorum, quæ homines in civitatibus affligunt, effeminantque, desidiam puto atque luxuriam. Mature hinc atque a teneris, vitæ duræ sobrietatique adsueti, increscunt cito; maturam acquirunt pubertatem atque seram senectutem. Grandævos ea propter videre neutiquam rarum. His ditiores rustici atque plerique in civitatibus degentes, tam tenui vita non contenti, gulæ palatoque magis indulgent, maxime in potibus calidis vehementer delinquunt, quod multorum morborum causa evadit. Omnibus autem his id commune est, mulierculæ atque aniculæ majorem in medicina fidem habere, quam medico. III. METEGER nuper in *Adversariis medicis* p. IIda erudite disputavit de victu et morbis incolarum Guestphaliæ nostræ, ad quem, brevitatis studio, lectores ablegamus.

Cum ante annum 1776 ne vestigia quidem febris biliosæ in nostro comitatu adessent, dicendum nunc est, qualis tempestatum ratio huic morbo creando, postea tantopere disseminato, maximo fuerit idonea, At vero sane non PYTHIUS APOLLO, nec probabilia conjectura sequens homunculus, fundo hoc exsequetur. Neque ego affirmare audeo, ingens frigus mensis januarii 1776; quod ill. van

SWINDEN (1) in libro edito, singulari descriptione prosecutus est, corpora his morbis tantopere reddidisse obnoxia. Docuere autem observationes sequentia. In ædibus quibusdam suburbanis, primo hujus anni vere, sub cœlo non valde iniquo, primum accensum virus, in æstate sequenti paulo remissius, circa autumnum, Africo regnante, et cœlo sæpe nebuloso, increbuit valde. Cum hujus anni statum epidemicum a me descriptum Adversariis medicis Part. IIdæ p. 58 et seq. inseruerit III. METEGERUS; dictis plura non addo.

Siluit dein quodammodo hyeme 1777 febris, neque aliis morbis tunc temporis laborabant homines. Proximo autem huic vere, frequenti mutatione caloris æstivi in frigus hyemale insigni, qua corpora meridianis caloribus relaxata, subito frigore excipiebantur, longe lateque ægrotantium numerus augebatur. Præter febrem biliosam occurrebant frequenter pleuritides atque anginæ biliosæ. Subsequens æstas valde pluviosa, non imminuit morbos, adjecit magis alios. vix non pejores et ex intermittentium natura. Ultima parte æstatis autem, atque maxima parte autumni substantibus serenis, prioris damna sunt remunerata, atque homines tunc temporis erant tutissimi,

(1) Observations sur le froid rigoureux du mois de Janvier 1776.

qui autem hyeme anni 1778, morbis ditissima excipiebantur incauti. Nam morbi, qui antea quieverant, nunc denuo recruduerunt atque repetierunt; quin etiam his morbis non vacabat ver pluviosum ejusdem anni. Nam nunc ægrotantium numerus fuit auctus, et apparebant febres scarlatinæ biliosæ, atque anginæ anomalæ; multosque dein vexabant pleuritides atque tusses biliosæ, quæ multos confecerunt. Æstas calida atque constanti fere serenitate atmospheræ lætissima, quæque cuncta ferme Europæ regna, si orientem spectantia intra gradum æquatoris 30mum et 50mum exceperis, fertili segete, lætaque salubritate beaverat, omnino non carebat morbis, abundabant illis potius; præsertim angina biliosa tentabantur multi. Circa finem æstatis autem, et quod ad maximam partem autumni, in quantum placide decurrebat, morbus ex bile adeo siluit, ut disparuisse videretur; interim tamen multi querebantur de doloribus artuum, atque mala digestio vexabat multos; quin et tusses ex bile apparuerunt.

In hoc statu ægrotantium conditio permanebat usque ad finem hyemis 1779; post aliquot hebdomades a rigore plane detonantis, et hinc lenitate magis quam salubritate insignis, quæque multos postea oppressit. Nunc varii morbi sunt orsi, bilem redolentes. Nimirum in hac tempestate variolæ multis in locis erant

pessimæ

pessimæ indolis: parturientes graviter decumbebant; atque teneram ætatem tusses atque anginæ vexabant malignæ. Quæ succedebat æstas torrida, multis inducebat febres arthriticas atque scarlatinas anomalas: circa finem æstatis repertæ sunt febres biliosæ, quæ omnes etiam incidebant in autumnum, quibus insuper superveniebant fœdissimæ diarrhœæ, dysenteriam æmulantes. Quæ tempestas nebulosa atque pluviosa debilibus præcipue erat molesta. Morbi hinc in his difficulter elidebantur, et quia progredi non poterant, fere retro, ut verbis CELSI utar, quasi ruina revolvebantur.

Ætatum autem atque sexus ratio talis erat. Magis adulti quam infantes; magis pueri quam juvenes; magis feminæ quam mares morbo sunt offensi. Juvenes tutissimi erant. Quando autem corripiebantur, vix in his defuit periculum.

Circa morbos biliosos anomalos annotavi sequentia.

In genere: homines juniores atque infantes laborabant febribus biliosis anomalis atqne tussi; cum e contrario ætas senilis, reliquis morbis anomalis non febrilibus esset obnoxia. Speciatim autem, febre scarlatina biliosa correptæ sunt feminæ juniores, quæ maxima ex parte arthritide biliosa itidem sunt offensæ. Febrem putridam subinde parturientes subierunt; vel hi, qui præter bilem interaneorum animalculorum fomitem alebant. Propter ven-

triculi debilitatem dispositi multi sunt redditi ad febres nervosas atque catarrhales biliosas. Pleuritides, hepatitides atque febres intermittentes biliosæ, vexabant mares; orthopnœa senes.

Hæc quidem potiores me edocuerunt observationes, omni exceptione non carentes. Nam nulla ætas certa, contra hunc morbum, præstabat præsidia atque satis tuta. Vidi infantem vix aliquot horas utero materno exclusum viridem bilem, non meconium, evomentem, matre, post triduum, febre biliosa correpta. Occupabat febris biliosa senem 92 annorum, qui curæ meæ commissus, feliciter satis morbum superavit, et adhucdum in vivis est. Sed hæc sunt levia. Nam: *quod ipsa natura dictavit systema, non illico turbandum, si qua forsan parte ab cognitionis humanæ defectum hiat* (1).

PARS I.

Quæ Febrem epidemicam deſcribit.

DIVISIO PARTIS PRIORIS.

RECENSITIS iis, quæ ad historiam epidemiæ Tecklenburgensis pertinent, paucis verbis

(1) *Gaubii* instit. pathol. §. 587.

summa capita prioris hujus partis sunt comprehendenda, ut lectori in limine statim pateat, de quibus sermo sit futurus.

Consideranda autem primo febris sub trifario a se diverso stadio.

Stadium primum nempe complectitur symptomata, quæ febrem sæpe diu antecedere visa sunt.

Stadium secundnm ipso febris decursu absolvitur; quod excipitur.

Stadio tertio iu quo reliquiæ febris supersunt.

Dein vero de nonnullis symptomatibus seorsim dicam.

Postea denique complicationum enarratio me occupabit, cui

Digressiones quædam adnectentur, quas *Crises*, sive molimina naturæ ad morbum superandum apta, sequentur.

Neque salubritas morbi exemplis illustrata plane silentio prætereunda videtur.

Tandem methodus medendi, cuilibet stadio apta, tractationi meæ imponet colophonem.

STADIUM I.

Imminens morbus jam e longinquo ex suis signis cognoscendus, raro sano hominem cito corripere solebat, neque erat admodum periculosus, dummodo sibi tunc temporis per aliquot dies temperarent, et monitis medicis

mature morbo occurrentes, obsequiosas præberent aures, ciboque carnem subtraherent ægrotantes.

Morbum timendum indicabant sequentia. Lassitudo artuum; dolor in membris atque in dorso rheumaticus, circa noctem sæpe increscens; sensus formicationis in musculis; pulsatio scrobiculi cordis mox præsens, mox cessans, maxime post prandium; capitis dolores in multis nulli; in aliis leves; in paucis vehementes, mox frontem, mox synciput occupantes; sensus ponderis circa ventriculi regionem, cardialgicos dolores æmulans; dolor hypochondriorum vel hepatitidem vel pleuritidem spuriam mentiens; ructus continui, inanes, nidorosi, quos nostrates nuncupabant: *eju rausberiges Hufstoffen*, quosque in Cholera adesse testatur *Cælius Aurelianus*; lingua impura, in his levi, in aliis tenaci muco obducta, albicans simul et interdum flavescens; papillas in hac parte sæpe elongatas vidi cum verminosa, in intestinis, colluvie; absentia appetitus; nausea, quin et vomendi conatus; fames in nonnullis naturali major; alvus nunquam recte respondens, suppressa in plurimis, cita in aliis: neque spiritus infra transmittebatur; urina pallida, straminea, sæpe bullas diu persistentes exhibens; pulsus debilis, interdum justo frequentior; noctes inquietæ, atque subinde anxietates subitaneæ, præcipue circa cap-

tum somnum, illumque pellentes; alii inani screatu atque levi tussi, ad se liberandos a muco, guttur faucesque obsidente, multum, circa noctem, temporis consumpserunt. Faciei color pallidus erat in his, in aliis rubor genarum; interdum autem genæ aut rubore aut pallore novo mutabantur; in feminis hæc magis aperta erant quam in maribus. In his enim circa eruptionem mensium acriora sunt reddita omnia; menses hinc sæpe suppressi atque turbati. Nunquam circa signa graviditatis animus magis hæsit, quam si saburram biliosam subolerem, utpote quæ graviditatem mentiri sæpe sæpius est visa.

Durante hoc primo stadio muneribus suis fungendis ut plurimum adhuc pares erant homines; neque ab his, nisi oppido raro, medicina facile parabilis, quærebatur, ex prandio vel cœna ventriculum offensum esse putantibus.

Verum enim vero haud diu in hoc statu permanere poterat morbus, qui triplicem habebat exitum. Vel enim transivit in stadium secundum, mox describendum; vel excipiebatur morbus anomalus biliosus; vel tandem inde status quidam valetudinarius est exortus, nisi forsan evacuatione præternaturali a mala materia liberarentur viscera.

Quum enim natura tantum onus recipere subinde non idonea, neque supervacanea atque

nociva ad certos exitus amandare, satis potens sit, opprimitur illa, et statum illum valetudinarium excitat.

Ita nimirum propter longam moram, quam in visceribus nectebat materia biliosa, fieri non potuit, quin functiones naturales, et in specie digestionis negotium eximie læderetur, unde posterius in alias partes promanavit malum. Debiles hinc sæpe atque macilenti sunt redditi, qui muniis suìs ignaviter vacabant, mœstique tristes atque iracundi erant.

Remanserunt dein obstructio alvi pertinax, atque dolores dorsi membrorumque rheumatici, admodum rebelles. In feminis menstruorum turbatio observabatur, et mali histerici incommoda multum increverunt, uti etiam debilitas nervorum, atque sanguinis orgasmi. Quod si vero secundis viis immitteretur materia, in aliorum morborum causas abiit e. g. in fluxum cœliacum; obstructionem urinæ; tussim pulmonalem; phthisim atque tabem corporis.

Quando autem in stadium secundum vel in morbum anomalum migrarent incommoda descripta, hoc raro factum est cito. Sed sæpe post aliquot demum septimanas. Quid quod! vidi homines per trimestre spatium de morbi adventu, per ante memorata incommoda, præmonitos, et si his mens non læva fuisset, parva medicina curabiles.

STADIUM II.

Corpora tali seminio morbi, ut cel. *Gaubii* verbis utar, prædita, ex levissimis potentiis nocendi in febrem subito sæpe incidisse, nemo mirabitur, nexum causarum bene intuens.

Terror, ira, animi pathema; refrigerium corporis; intensi labores; nimia ingurgitatio; laxantia intempestive adhibita; nec-non ratione celebrata venæ-sectio; mensium eruptio, quin etiam partus sæpe sæpius febrem accenderunt. Subinde etiam sine prævia causa febrem enatam vidi, ex abundantia materiæ peccantis nimirum, vel ex defectu virium morbo resistentium: tandem ex contagio, dum raro uni in domo semel infecta, et immunditie fœda, pepercerit malum.

Morbi insultum autem indicabant sequentia. Præter illa in stadio primo enarrata, vel horror vel calor præternaturalis vexabant, raro ingentes, sed magis vicissim sese excipientes. Per dorsum imprimis currebat calor ingratus ferventis aquæ instar, qui ad faciem migrans, coccineo rubore tingebat, post aliquot horas iterum pallescentes. Sudor vel nullus, vel saltem in initio levis, particularis; in nonnullis universalis, minime criticus: diarrhœa, si qua antea fuerat, aucta; vel obstipatio alvi pertinacior. Jam nunc incommoda circa ventri-

culum augebantur , quod ex majori aversatione esculentorum , præcipue carnium ; ex conatibus vomendi, et præcordiorum anxietatibus pro ratione obstructionum increscentium , satis abundeque apparebat. Noctes hinc inquiete ducebantur, et si forte fortuna somnum caperent oculi, subito quodam terrore sunt expergefacti. Siti confecti , limpidam aquam amabant . aversantes calida , quia inde anxietatum incrementa sensere. Quid quod ! semel a potu calido largiter et supra modum hausto , vidi delirium maniacum per aliquot horas durans , donec viscerum abdominalium præter modum aucta expansio , qua mediante, diaphragma magis in pectoris cavum adactum est , ad statum pristinum rediret. Potum Thée postea semper suspectum habui.

Febris , uti inceperat, uno impetu , perseverabat, et si forsan tempus quoddam remissius esset , circa vesperam integritas quædam aderat. Pulsus debilior atque multo frequentior; quam antea fuerat , in robustissimis sæpe imperceptibilis , ingentem virium jacturam in morbis putridis indicans , vix quem in hoc morbo semper terrere debebat, dummodo de materiæ biliosæ circa præcordia satis constaret præsentia. Inventi enim sunt multi , qui unico adhibito emetico , vel laxante , morbum una cum causa feliciter satis , et brevi temporis decursu funditus superarent , et paulo post

cum pulsu bono muniis suis vacarent. Similia post vermes excretos viderunt *Andry* atque van den *Bosch*.

Aliis autem tam fauste res non cessit, neque hi tam subito cum sanitate in gratiam redierunt. Dictis enim malis tempus plura atque pejora adjiciebat, quæ vel ex pertinacissima alvi obstructione, vel ex diarrhœa simul conjuncta, enata esse videbantur, quam maxime. In illis enim, qui alvo tarda laborabant, increscebant dolores artuum atque dorsi; anxietates; vigiliæ vel somnolentia, quibus accedebant suspiria; deliria; surditas, ex observationibus *Tulpii* (1), cum febre simul evanescens. Febrem denique habebant ab omni remissione destitutam; linguam aridam, quoad colorem flavescentem, in nigredinem vergentem, atque muco tenacissimo obductam, qui præter linguam etiam dentibus atque labiis firmiter adhærens, has partes inter se conglutinabat.

Illis vero, quos fusi ventris mala vexabant, minus dolebant partes externæ; capitis e contrario dolores erant vehementiores; hinc etiam deliria phrenitica in his frequentiora; sitis major; dolores colici; urina varia atque mutabilis; excrementa varia, aquosa, spumantia, viridia, nigra, pessime olentia. Pulsus, si a casibus inflammatoriis discesserim, et in his et in illis,

(1) Monita med. N°. 59.

obstructos dixi, non solum semper debilis, sed et sæpe æquis intervallis micare desinens. Respiratio, si ab anxietate vacarent, ut plurimum bona. Haud amplius citam alvum habere, multum in his spei injiciebat; uti e contrario in obstructionibus salutare erat, alvum mollem sentire.

In genere autem sperare licebat, ægrotum superstitem fore ex morbo, si mature valentissimi generis cibus exularet; si tenuius viveret æger; si medicamenta non negligeret; si nulla vel saltem levi tantum complicatione conjunctus esset morbus; si post sumptum emeticum, quod biliosa cum muco remixta, quin et viridia rejecerat, anxietates cessarent, neque redirent; si excrementa mollia atque figurata redderentur; si urina antea nubeculam gerens, deponeret sedimentum laudabile, die XIV et serius, nec postea limpida redderetur, quod sæpe accidit in febribus biliosis nervosis, uti infra ostendam; si bullæ in urina mox disrumperentur; si lingua ab apice ad ejus radicem usque pura redderetur, non fine prævia egestione materiæ biliosæ; et quando forsan quid pleuritici adfuerat, si sputa cocta biliosa non deessent; si somnus, appetitusque redirent, et ejus generis plura.

Morbum autem longum fore, indicio erant sequentia. Sudor statim ab initio profusus; vomitus, post emetica, non levantes, nec

biliosi quid educentes; emetica plane neglecta, laxantia præmature adhibita; venæ-sectio sine ratione instituta; continuæ anxietates præcordiorum post emetica continuantes; hypochondria tumentia; pulsationes scrobiculi cordis continuæ; lingua crispa, nigra, fissa; papillæ linguæ elongatæ. Malum etiam erat, medicamentis subter in alvum missis, ventrem non molliri, neque diarrhœam sisti. In longis malis adesse solebant surditas atque loquelæ defectus, cum frequenti aurium tinnitu. Longum reddidere morbum variæ complicationes e. g. vermes, partus etc. Certissima autem urina diuturnitatis indicia dabat; nam talis erat, quæ semper tenuis existeret; vel quæ nubeculam nullam vel saltem in suspenso gerebat; quæ multas bullas habebat, sæpe ante octavum diem non dissilientes; vel denique talis, quæ mox sedimentum deponeret, mox vero non. Quibus optime confirmantur ista *Hippocratis*:

« *Si urina intermittat, et interdum quidem pura meiatur, interdum autem subsideat album et leve, diuturnior et minus securus evadit morbus* (1).

Dein alio loco. *Quibus in urina bullæ, significabit longam fore valetudinem* (2).

---

(1) Prænot. 77.

(2) Aphor. 7. 24.

Denique: *Urina lentum sedimentum habens, et quæ in melius et in deterius commutatur, temporis diuturnitatem postulat* (1). »

Pulsum in his febribus diuturnis ferme non semper debilem inveni: interim tamen quandoque adeo mutabilis fuit, ut tutum præsagium inde haurire vix possibile. Nam qui in initio durus, postea mollis; qui magnus fuerat, cito parvus est factus: interdum pulsus alius ex alio est subortus. Videbantur autem distentiones intestinorum a flatibus; vel pertinax alvi obstructio; vel tandem spasticæ in interioribus contractiones, tantæ debilitatis atque mutationis causa fuisse. Certe hinc in hoc morbo, si unquam aliter, pulsui, quem fallacissimam rem nuncupat *Celsus*, fides quodammodo est deneganda, vel saltem non tanti æstimanda, quanti in aliis casibus. Quid quod! ne ex pulsu magnitudine quidem, neque ex ejus duritie necessitas semper venæ - sectionis potuit æstimari: siquidem post levem venæ - sectionem ex pulsu magno identidem admodum parvum enatum vidi. Admonendi hinc semper erant chirurgi: vellent potius hanc operationem dividere, quam uno flumine vires exhaurire. Longum vero morbum appello, quando ultra sextam septimanam extenditur.

Ad ultimum ventum esse testabantur varia. Si cum morbo diu luctaretur æger, neque de

(1) Coac. prænot. 575.

materiæ fomite e corpore decederet quidquam; sed in statum putridum vel hecticum migraret. Vomitus æruginosi, parvi, nihil levantes, diarrhœa pessimæ indolis, excitata a materia acri vasa arrodente, spasmosque et diros dolores colicos irritante, cum intermixtis striis sanguineis, atque materia purulenta, tunc mortem portendebant, utpote quibus significabatur, massam sanguineam jam jam in putrilaginem abiisse. Multas septimanas, antequam sub multis cruciatibus animam efflarent, vitam hanc miserrimam ducebant. In aliis venter continuo constipatus; sopor profundus; deliria phrenitica; oculi sanguine suffusi; epilepticæ convulsiones in parturientibus, vel quando vermes in causa essent; ventris inflatio cum murmure, vel ingens ejus contractio; lingua tremula, muco pingui obducta; nigra; cavum oris cum muco tenaci in fila ductili repletum, malum eventum præsagiebant. Maximum vero metum incutiebant, respiratio admodum læsa, post venæsectionem non liberior; instans partus; perpetua deliria; muscarum captus; sitim, quamvis pro ratione febris quam maxime urgeret, non sentire; extremorum tremor; pulsus plane non perceptibilis vel intermittens; variolæ malæ indolis simul complicatæ; aphtæ; frigus extremorum cum sudore frigido; tandem facies *Hippocratica*.

Et ita quidem morbi facies erat comparata!

inde morbi nomen, ejusque naturam eruere haud magnus quidem erit labor, neque siugulare desiderat ingenii acumen. Nam nemo facile erit, qui non, me saltem ita sentiente, ex datis signis *febrem biliosam* vel prima fronte statim cognosceret, nuncuparetve, atque ab aliis ægritudinibus discerneret. Operæ hinc pretium vix erit, tam apertæ rei plura argumenta addere. Quod si vero cui dubium circa hanc rem enascatur, adeat, amabo, elegantissimum librum celeb. *Tissot* ab ill. *Baldingero* editum, in quo febrem biliosam *Lausannensem* accurata descriptione expositam inveniet, cum adjectis argumentis gravibus, cur febris, nostræ quoad causam atque phœnomena similis, biliosa sit salutanda.

Aliud mihi potius nunc agendum restat. Evincendum nempe est, an omnium supra descriptorum malorum una semper eademque fuerit natura; neque ulla, in nostra epidemia, extiterit generis diversitas, haud omittenda.

Non hic diuturnitatem, neque intensitatem morbi, vel alia accidentia à me quæri, quilibet etiam haud monitus, facile intelliget, sciens, magnitudines vel accidentia rerum naturas non mutare, neque genera sed species sistere.

Quærimus autem aliam diversitatem, talem nempe, quæ ex ipsa morbi natura fluit, et medentem docet, num in methodo medendi aliquid mutandum, vel illi insistendum.

Puto autem, ex præfata historia morbi patere sequentia.

I. Fuisse genus quoddam ægrotantium, quod pertinacissimis laboraret alvi obstructionibus, in quibus multorum medicamentorum apparatu, vel ore haustis, vel per inferiores partes infusis, ad ventrem liquandum opus erat.

II. Fuisse huic contrarium genus, in quo semper fusi ventris mala vexabant, quæque a priori et diversam methodum medendi et victus rationem desiderabant.

III. Tandem genus, priora intercedens, tutissimum et facile curatu, neque peccans nimia obstructione, neque propter diarrhœam extimescendum.

Ex his colligo, epidemiam *Tecklenburgensem* sistere trifaria genera proxima febris biliosæ, vario modo vel cum aliis morbis vel inter se complicata, et in varias species, sive morbos biliosos anomalos, vel huic, vel illi generi vicinas, deducenda.

Cum ex descriptione symptomatum (p. 11 23) differentia generica satis abundeque constet, proximum nunc est, ut tantæ diversitatis causam proximam propius inquiram, quam non nisi in diversitate materiæ peccantis positam invenio.

Alia enim erat materiæ conditio in genere priori; alia in secundo; mixtæ naturæ in genere tertio.

In genere morbi priori, præter materiam biliosam viridem, nigram, piceam, tetri odoris, quam in omnibus morbis biliosis præsto esse scimus, nec-non in attrabilariis, aderat quoque istud glutinosum spontaneum magni *Boerhaavii*; sive materia quædam pituitaria, summa tenacitate, forsan et acrimonia prædita; in maxima quantitate intestinorum latera undique incrustans; pertinacissimasque obstructiones alvi, loca alias pervia claudendo, et spasmos excitando, efficiens. Quæ juncta cum materia picea nigraque antea descripta mirum in modum obstructiones auxisse, eo minus mirandum, dum jam *Hippocrates*: *materiam atrabilariam omnium fluidorum viscosissimam* pronunciaverit.

Tam diversos corporis humani humores, bilem puta atque pituitam, intimo connubio consociari amare, sane admirandum, et res altioris indaginis est: *plerumque tamen et vero consentaneum animadvertitur, ambas simul, et bilem copiosam et mucum intestinalem — obesse* (1). Qui plura de ortu atque effectu materiæ mucosæ scire cupit, adeat sæpius laudatum van den *Bosch* et illustr. viros *Roederer* atque *Wagler* in dissertatione *morbo mucoso*.

Quod autem ad materiam pituitariam in nostris casibus attinet, singulari sane eget

(1) Van den *Bosch* l. c. p. 257.

descriptione,

descriptione, haud plane omittenda, et vitrea merito nominanda. Vidi illam primo in illustri quadam persona, quæ singulari sane animi constantia, bis febrem biliosam tulit tresque recidivas. Quæ cum ingentem vitreæ materiæ quantitatem excerni quotidie videret, comiter me, uti illi solemne est, admonuit: vitarem muco intestinali naturali, cujus exemplum legimus apud *Tulpium* (1), corpus privare, rationem interserens: pessima mala inde esse extimescenda. Verum enim vero symptomatum turbas, quibus antea ad orci limina rapiebatur, nunc eductione hujus materiæ, leniri videns, in mucum intestinalem naturalem, ne cogitatio quidem incidere potuit.

Est autem ista materia albumini ovi, aut si mavis, succo baccarum visci quercini, admodum similis; alba, perlucida; haud parum elastica; in glebas ova columbina et majora quoad magnitudinem, æquantes sese colligens; in aceto vini vix resolubilis; in terram projecta globi instar se volvens; intestinis firmiter adhærens; etiam sine vermibus præsens, et multorum malorum infra dicendorum causa; paucis, non absimilis illi materiæ, cujus descriptionem dedit *Tulpius* (2) et quam excrevit *Lipsius* ex relatione *Heurnii* (3).

(1) Observat. med. lib. III. cap. 17.
(2) Lib. II. cap. 23.
(3) Vid. van den *Bosch* p. 256.

Quod nunc descripsi, quoad materiam; primum genus morbi, frequentissimum, in varias species atque morbos biliosos anomalos transire amabat. In pulmonibus atque in partibus his vicinis vehementes excitabat inflammationes; dein pleuritides spurias; febres catharrales; tussem; orthopœnam etc. in partibus remotis arthritidem et ejus generis plura, de quibus in parte ſecunda sermonem instituam. Ætas infantilis atque senilis; temperamentum cholerico-melancholicum arque phlegmaticum; mollis corporis habitus cibi crudi atque valentissimi generis, ut pinguia, dulcia, solani tuberosi quotidianus usus, nec-non calida, corpora civium nostrorum ad hoc genus morbi apta reddiderunt. Est morbus longissimæ durationis, nec facile eliditur; hinc medela, tædii plenum opus.

Quum multi ex tædio, propter diuturnitatem morbi, vel omnia medicamenta negligerent, vel quævis oblata arriperent, febris putrida sæpe est orta; vel sero tantum, post longam luctam naturæ, convaluerunt. Quamvis multos hoc morbo decumbentes viderim, plures tamen reliquiis materiæ, quam febre ipsa, sunt interempti. Multi enim sine omni medicinæ auxilio sunt restituti, naturæ, mala sæpe optime averruncanti, omnem medelam relinquentes.

Secundum genus morbi, priori fœdius, magis peccabat materia acri biliosa, quam pitui-

taria. Quæ magis fluida, et ad majorem putredinem vergens, diarrhœas pessimæ indolis efficiebat, atque causabat morbos mali moris; neque tamen ex classe febrium biliosarum excludendos, vel putridis, per eminentiam talibus, adnumerandos. Bilis viridis vomitu rejecta, et materia picea supra descripta, et sub finem morbi, cruditate superata, egesta, extra dubitationis aleam morbi naturam posuerunt. Neque enim morbum, in principio saltem, valde putridæ indolis fuisse, si a casibus parturientium vel vermium simul complicatorum discesserim, ex constantia virium patebat, diu permanentium, quamvis pulsus debilitas esset eximia. Et, ut absentiam exanthematum malignorum taceam, comprobatum hoc assertum fuit per ipsam methodum medendi, his morbis convenientem, et putridis non ex æquo aptam. Nam quod ad roborantia et præcipue ad Chinam attinet, in hoc morbi genere, præmature vel in nimis larga quantitate propinata, aperte nocuerunt.

Transire et huic generi solemne erat in suas species malignitate timendas. Sic febris lipyrica atque phrenitis pessimæ indolis mala, nominanda veniunt. Induit identidem naturam intermittentium; catharraliumque febrium; causatque febres scarlatinas; arthritides; pleuritides; choleram; colicam; quin et dysenteriam anomalam. Sic autumno 1779 cum dysenteria,

quam egregie descriptam legimus ab illust. *Leidenfrostio* (1) nec-non a cel. *Taubé*, vicinis locis haud levem cladem inferret, his locis subortæ sunt diarrhœæ pessimæ indolis, atque dysenteriam exacte æmulantes. Casibus autem rite examinatis, mox apparebat, sanguinis strias, quas alius atque alius excrevit, symptomatis munere bilis ad majorem acredinem evectæ tantum fungi; morbumque a vera dysenteria longe discedere..

Quod ad durationem hujus generis morbi autem attinet, varius morbus extitit. Diu durans, et putridæ sæpe indolis erat in senibus, et qui malam diætam sequebantur; brevior autem in his oppositis fuit, quibus providens natura id ipsum, quod lædebat, e visceribus subinde cito propulsit. Maxime acutus, nec spatii minime longi erat in hominibus eachecticis, quod sequenti comprobabitur casu.

Quadragenarius, spirituosis deditus, quodammodo obesus, phlegmaticus, facie inflatus, jam per aliquot septimanas diarrhœa vexatus, incidebat die tertio post celebratam venæsectionem, quam proprio suasu instituerat, in hanc febrem ardenti Lipiricæ similem, ad quem circa mediam noctem vocabar: Febris erat ingens; dolor circa scrobiculum cordis

---

(1) Dissertatio inaug. de dysenteria, quæ 1779 late grassata est. defend. Joh. Franc. Knicking. Teutoburgi 1780.

urens ; tussis continua ; pulsus magnus atque citatus ; sanguis sputo remixtus ; anxietas magna ; stertor jam primis morbi diebus præsens ; sitis urgens ; diarrhœa continua ; non levis ad vomendum conatus ; lingua impura excrementa multa , biliosa , aquosa.

Sequenti die , propter pulsus magnitudinem, aliquot unciæ sanguinis per venam sunt missæ, quod malum vero non imminuit. Sanguinem missum crusta inflammatoria tegebat, multumque seri biliosi cruorem inundabat.

Circa vesperam , deliria , pulsus debilis atque mollis. Nox inquieta. Die tertio reddebat urinam , quæ nubeculam nigram in suspenso gerebat. pulsus iterum admodum magnus. Urgebant hinc adstantes , venam denuo aperire , mittebantque , me dissuadente , uncias circiter sex sanguinis priori similis. Hora somni pulsus debilis ; respiratio impedita. Crescunt deliria , tussis , stertor ; diarrhœa continuat. Applicata sunt vesicatoria suris , atque sinapismi plantæ pedum ; dein clyster emolliens atque lubricans est injectus. Sequitur autem nox turbulenta. Dies quartus , ut præcedens. Clyster est repetitus.

Die quinto in lecto æger detineri non potuit ; et multum in domo obambulabat.

Die sexto abiit ad plures.

Per totum hoc tempus nil cibi sumsit ; et semper habebat respirationem summe impe-

ditam. Vomitum hinc medicamentis ciere non ausus sum. Propinata autem sunt temperantia acidula; succus expressus ribesiorum, (1) atque sal Riverii cum aquis analepticis mixtum. Dedi etiam lenia laxantia e. g. Tamarindos, idque feci autoritatc magni *Hippocratis*, qui *febres lipyricas non nisi cholera superveniente solvi* (2) statuit. Qua in re meçum etiam consentientem videbam *Hollerium* apud *Baglivium*, qui posterior hanc febrem *cacochymiam malignam* recte nuncupat, *conjunctam cum inflammatione, quam pauci effugiunt.* (3).

Sed redeo ad institutum. In nonnullis, uti jam dixi, morbus longioris erat durationis, et nonnunquam a tempore, de quo dicit *Celsus: quod sæpe in morbis incipiat esse præsidio, dummodo vita prorogetur*, multum solatii expectans. Minus autem recte curatus vel transiit in febrem putridam, vel obstructiones viscerum excitavit; provocavitque phthisin atque hydropem. Quid quod! illis malis secundariis plures sunt interempti quam ipsa febre, in qua subinde alvus tenerrima multorum aliorum malorum tutus fuit averruncus.

In tertio genere homines tutissimi erant. Cum nempe in eo neque materia pituitaria;

---

(1) In magna quantitate ejusmodi succos propinare periculosum esset, quia, docente *Pringlio*, atque confirmate Ill. *Leidenfrostio* in Diff. cit. cum bile fermentant.

(2) Coac. præn. 7.

(3) Bagl. p. 57.

neque acris, saltem non per eminentiam talis, peccaret, raro adfuit obstructio alvi, medicamentis non cedens; vel alvi profusio, in qua intestina desidendi atque oneris ferendi amiserunt moram.

Paucorum medicamentorum apparatus sufficiebat ad morbum, intra aliquot dies, debellandum; ægrumque in tuto collocandum. Perversa tamen adhibita medela, uti hoc sæpius usu venit; aliorum morborum fomites inde sunt enati.

Non carebat hoc genus suis speciebus, nec hic tacendis. Tussis; angina; pleuritis et vera et spuria; hepatitis levioris gradus, nominanda hic veniunt mala.

Etiam in his lingua sæpe muco bilioso, et ad nigredinem vergente obducta visa est; sed non tam firmiter adhærebat mucus, qui cultro facile potuit auferri.

Hæc pertinent ad genera febris biliosæ nostræ constitutionis epidemicæ, atque ad universum: infra, cum ad ea loca pervenero, quæ de morbis biliosis anomalis agunt fusius et sigillatim de singulis speciebus agam.

Transeo nunc ad *stadium tertium.*

STADIUM III.

Stadium tertium morbi id mihi venit, quod reliquis hac de re Scriptoribus reliquiarum nomine insignitur. Sic legimus apud CELSUM:

potest morbus minus gravis esse, quam antea fuerat, neque tamen ideo solvi sed RELIQUIIS *quibusdam inhærere.* At facilis verborum consensus, dummodo conveniatur in re.

Singularem saue hoc stadium desiderat animadversionem. Quærenda hinc sunt primo signa, unde constet, an inutilis materia corpori adhucdum supersit. Cognoſcimus autem hoc vel revocatione in memoriam eorum, quæ, durante morbo, hunc eventum præsagire valuerunt; vel intelligimus hoc ex signis præsen.ibus. Quod ad primum attinet: de eo edocemur vel per absentiam signorum coctionis; vel si evacuantia plane sunt intermissa, aut in non sufficiente quantitate propinata; vel denique si inutilia laxantia, talia nempe, quæ de *intento atque inflammato nihil auferunt, sed ea, quæ morbo resistunt, colliquefaciunt, debili evadente corpore,* (1) sunt data.

Symptomata præsentia autem, id demonstrantia, erant talia. Sensus ponderis circa scrobiculum cordis, ejusque pulsatio; tensio instar fasciæ adstrictæ infra umbilicum; dolor illam hepatis regionem occupans, quæ vesiculæ felleæ regionem indicat; appetitus ad cibos non rediens, vel naturali major; pigritia alvum exonerandi; excrementa nigra, atque præ tenacitate recto intestino adhærentia. Vires his

(1) Hippocr. de victus rat: N°. 36.

non redeunt ; macilenti sunt ; sæpe siticulosi ; et somnus nunquam non est turbulentus ; Plerumque autem ex lingua desumta signa certissima, atque minus fallacia erant. Videlicet linguæ radix in his impura adhuc restat, reliqua et maxima parte munda. Quando vero primas vias reliquit materia, et fluidis C. H. sese insinuavit, sive partem aliam occupavit: alia signa, infra enumeranda, non erant negligenda.

Quod vero ad signum ex lingua desumendum attinet, unde constabat, partem quamdam materiæ biliosæ in intestinis adhucdum latere: sciendum est, fugientibus oculis hoc facile occultari, et morum elegantiæ adsuetos, non nisi admonitos, ringendo linguam ostendere Inspicienda autem ejus radix, locus, in quo nervos fungiformes atque foramen cœcum ostendunt anatomici. Ibi tenax atque viscida materia, quæ instrumento auferri non potest, ad fauces porrecta, abscondita latet. Similem linguam in morbis biliosis anomalis, nec non in multis præterito autumno ex *Hollandia*, febre biliosa tunc temporis fertili, redeuntibus, observavi. Qui posteriores præmaturum corticis chinæ usum ad unum omnes accusabant ; et hinc resolventibus atque laxantibus, diu continuandis, opus habebant.

Longe autem acrior, quam præcedens, casus iste est, quem homines subeunt in,

quibus talia signa non adsunt, et qui, ut *Hippocratico* loquar more non *secundum rationem levati sunt*, neque tamen bona sua suspecta habent, sed se restitutos credunt, corpore adhucdum existente impuro. Usu hoc interdum venit; et hinc sub herba latens anguis, eo magis extimescendus.

Vidua 69 annorum, ætate et, antea passis morbis, viribus quodammodo fracta, mense Junii 1779 incidebat in pleuritidem biliosam. Vix convalescere, et a materia biliosa liberari incepit, cum subito in urbe exortum est incendium, quod ægrotantis proprium prehendit domicilium. Quæ terrore panico et debilitate fracta, neminem, qui igni eriperet, videns est hinc propter ingruentem noctem ferme plane desperans, tandem, tignis jam jam labascentibus, in filio alterum invenit *Æneam*. Totam noctem sub divo degebat, et non ante matutinum tempus in familiaris cujusdam domum deportabatur, ubi illam videndi causa, eodem die, adii. Semimortuam putabam, quam sellæ insidentem, quod antea nondum potuit, videbam, ab omni febre doloreve liberam. Linguam impuram videns, bonam valetudinem suspectam habere incepi. Admonui hinc: nollet nimis tuta esse. Sed vix aliquot dies erant elapsi, cum illam, sine ulteriori egestione materiæ biliosæ, plane restitutam audirem; neque ulterius medicamenta optabat hæc ægra.

In hoc statu falsæ integritatis, quam semper timui, permansit usque ad finem mensis Septemb. e. a. muniis suis, absque omni incommodo, et alacriter vacans, quamvis omni hoc tempore linguam impuram haberet. Tunc colica biliosa, quæ in passionem iliacam abiit subito illam correptam rescivi. Tentata quidem sunt varia; sed die morbi octavo, dira morte est extincta.

Sed hæc pertinent ad universum, et ad signorum rationem. Nunc videndum, quid ex reliquiis oriatur.

Primo nominanda est proclivitas recidivandi quæ in hoc morbo tanta est, ut major in alio esse nequeat. Supra jam mentionem injeci feminæ cujusdam tribus recidivis vexatæ: sed hoc non adeo mirum, quam quod sequitur. Nota mihi est femina, nobili genere nervorum prædita, et ingenii acumine præclara, quæ intra triennium novem recidivas febris biliosæ primi generis, et unam secundi generis febris subiit, sua ipsius culpa, propter quotidiana in diæta commissa vitia. Nam cum ita semel restituta progredi non poterat, fere retro, quasi ruina, revolvebatur. Accidit etiam nonnunquam, recidivas tam longo temporis intervallo videre recurrentes, ut dubium oriretur, utrum quilibet insultus pro recidiva, vel pro nova febre sit habendus. Vidi puellam rusticam quater morbo recurrente, singulo trimestri,

laborare. Dein neque silentio prætereunda est annotatio : recidivas anni temporibus quodammodo fuisse adstrictas.

Quod nunç ad causas, recidivas excitantes attinet, primariæ sunt sequentes, ab observationibus desumptæ :

1. Neglectus medicamentorum resolventium, atque evacuantium legitimorum.

2. Præmaturus usus medicamentorum tonicorum.

3. Abusus carnis, lactis, vel alius generis valentissimi.

4. Refrigerium corporis; atque anni tempestas frigida, humidaque.

5. Animi dein pathemata; mensium eruptio impedita; aer impurus; atque munditiei neglectus morbi alii etc.

Quamvis cujuslibet commatis exempla in medium proferre non difficile esset, tamen exemplo illius personæ, quæ decem recidivas subiit, rem illustrasse sufficiet. Quæ, uti paulo ante dixi, ullis regulis diæteticis sese adstringere recusans, carnem suillam, et pinguia, nec non dulcia, quæ bili creandæ favent, in deliciis habebat quam maxime; neque omittendum esse lactis usum putabat. Paucis, ut verbis *Celsi* utar : *liberaliter agere se credebat, cum cætera arbitrio medici relinqueret, in genere cibi autem se liberam æstimans.* Hoc commune est vitium civium nostrorum : quod gulæ nimis indulgeant.

Sed eadem femina alio tempore per corticis chinæ usum, cui, propter antea inde perceptos bonos effectus, nimis fidebat, recidivam excitavit morbi generis prioris; cum e contrario, in secundo genere febris, nil mali ex hoc medicamine sit experta. Ut reliqua taceam, confirmantur hoc exemplo egregie ea, quæ supra de differentia generica febris biliosæ cum lectore communicavi. Sed hæc de recidivis sufficiant. Nunc alii morbi, ex reliquiis materiæ biliosæ enati, enarrandi. Ingenti sane horum morborum varietate abundamus, quorum gravitas vel ex nobilitate partis affectæ; vel ex duratione morbi; vel ex urgentibus symptomatibus; vel ex ipsa denique materiæ natura æstimanda est.

Succedunt mox febres intermittentes; quotidianæ, tertianæ, quartanæ rebelles; mox lentæ nervosæ, vel mere lentæ. Hæ febres vel solæ, vel cum aliis morbis complicatæ procedunt. Febris quartana, conjuntcta cum hydrope, ascite atque tussi ingenti, exceperat febrem biliosam, qua homo mihi amicissimus diu, alio loco, decubuerat. Posteaquam illum a materia biliosa liberaveram, per corticis chinæ atque millepedum usum, cui decoctum pectorale interponebatur, adspirante summo numine, fausto eventu hoc malum debellavi.

Morborum chronicorum ditior adhuc proles, et ægre detegenda.

Occupabat interdum parvam, sive singularem corporis partem materia, ut ventriculum, hepar, lienem, mesenterium, pulmones; hæcque loca, obstruendo, vehementer lædebat, et ad alios morbos secundarios, ut ad cachexiam, hydropem, morbum regium, phthisin atque tabem corporis, disposita reddebat. Quid quod! ad cerebrum virus istud rapi, sæpius est visum.

Ante annum et dimidium, febre biliosa tertii generis, laboraverat vir quidam robustus atque spirituosis deditus, qua non ex artis regulis erat liberatus. Varia ex ventriculo mala postea sensit, quibus dein singultus atque vomitus accedebant. Pulsus erat admodum intermittens atque inconstans. Tandem post aliquot menses, variis et a medicis et a medicastris adhibitis medicamentis, vertiginosus, tanquam vino fartus, concidit, et subitanea morte est peremptus, de ingenti capitis dolore antea conquestus.

In puero 12 annorum, non purgato, jam ex toto, ante aliquot dies, quieverat febris, cum frigus vespertinum illum feriret, unde mala materia repressa in partem maxime nobilem, in caput nempe, incubuit subito. Tetanicus fixis oculis lunam obstupescebat, cui vota solvere credebant parentes indæi, non prius de morbi nequitia convicti, quam cum puerum convulsum viderent, atque mirum in

modum distortum. Nunc illum, cui alba oculorum grandescebant, arripiunt, quique post aliquot horas, syderatione tentatus, immobilis jacebat per aliquot dies.

Vesicatoria variis corporis partibus, quia id vitium non aliam curationem admittebat, et quia satius erat, summam cutim corrumpi atque exulcerari, quam id, quod nocet, in interiores partes verti, sunt imposita. Postea autem, cum sensus et ratio redirent, aliis medicamentis, locus est datus : nondum tamen plane convaluit puer.

Sequar nunc illum casum, ubi toti corpori inhærescit, atque per singula membra, perque fluida quæcunque ita disseminatus est fomes biliosus, ut nulla ferme pars ab illo libera sit, hominesque in horrendas calamitates, vix aut ne vix quidem curabiles, dejiceret, instar exempli sequentis.

Fœmina obesa, nullius diætæ, 48 annorum, difficulter et post aliquot demum septimanas, neque ex toto, quia medicamenta odio prosequebatur, ex febre biliosa emersit, post varios conflictus naturæ. Quæ cum à reliquiis materiæ purgari recusaret, in febre pejora mala, anni spatio vix superabilia, quia omnia fluida materia biliosa erant inquinata, incidit, paucis nunc enarranda.

Nunc aderat purpura chronica; nunc in bullas elevabatur cuticula uno loco, quæ altero fœ-

dabatur ulceribus; mox materia tussim excitabat, paulo post in caput irruens, oculosque offendens, ubi fistulas lacrymales excitavit. Somnus erat inquietus, summisque anxietatibus turbatus; neque animo ulla erat quies. Appetitus nullus; sitis ingens; horror frequens.

In pedibus erant spasticæ contractiones, præcipue durante nocte, et in abdomine gravis dolor, motus convulsivos æmulans, viscera fatigabat, flatibus auctus. Spiritus infra non transmittebatur, et venter erat varius, maxime vero fusus, in quo materia, gravi odore molesta, partes, propter acrimoniam, arrodens valde peccabat. His tandem successit status cachecticus, ex quo, cum urina parce flueret incipiens hydrops, ascites. Motus febriles erant aperti; atque incommoda circa pectus augebantur quotidie. Paucis, conclamatam habebant omnes, quæ tamen, infra enarranda medicina, eo malo, magna ex parte, est liberata.

De nonnulis symptomatibus.

Symptomatum plurimorum supra quidem a me exposita ratio est, et hinc superfluum videri posset, his de novo immorari. Sed cum id agam, ut lectoribus differentia, quæ inter symptomata, atque inter morbum anomalum intercedit, pateret quam maxime seorsim symptomatum nonnullorum mentionem injecisse, non abs re esse putavi. Hoc loco autem illa symptomata

symptomata tantum exponam, quæ vel rarioribus sunt adnumeranda, vel quæ propter singularem subjecti conditionem, in quo deprehendebantur, memoria quædam digna continent, neque in stadio secundo enarrata.

Sic, ut per exempla res agatur, nonnulli, citra inflammationis indicia, sanguinem tussi rejiciebant, qualia exempla etiam cum orbe litterato communicavit cel. van den *Bosch* (1). Hæmorrhagiam narium nunquam non symptomaticam, minime criticam vidi, quod itidem observavit van den *Bosch* (2). Convulsiones atque animi deliquia nonnisi in parturientibus vel verminosis sunt observata, in quibus etiam urinam, præter voluntatem, elabentem vidi; cum feminæ hystericæ e contrario, non sine dolore, vesicam exonerare possent. Aphoni tantum pueri sunt redditi, in quibus etiam *Tulpius* (1) hoc symptoma vidit: et in senibus modo erat deglutitio impedita, pessimi ominis. Subinde vexabat singultus, magis circa finem quam in initio irruens. Tussis; salivatio; atque levis angina, molesta erant his, qui purgationem nondum sumpserant: purgati autem, ab his malis, uti et a singultu, liberati sunt inventi. Pulsus intermittens tam parum instantis mortis, ex præsagiis medicorum *Sinensium*

---

(1) L. c. p. 297.
(2) L. c. p. 168.
(1) L. c. cap. 39.

atque *Japonensium* (1) certum semper indicium, quam raro ex pulsationibus scrobiculi cordis, mania extimescenda. Proclivis autem fuit obsurdescentibus insania. Dein, tantum abfuit, ut post ingentes anxietates præcordiorum, pustularum eruptionem viderim, quas tamen intimo connubio conjunctas agnoscit *Huxhamus*; ut nullas magis pustulas vel miliares, vel petechias, quamvis illæ causæ non deessent; quæ ex sententia cel. *Hænii*, his exanthematibus gignendis, aptæ erant, in febre biliosa, oculis unquam usurpaverim.

Tandem alvi proluviei nonnullorum sanguis purus interdum fuit admixtus, quod imperitos fefellit, ut morbum pro dysenteria haberent. E contrario alba vel purulenta dysenteria laborare crediti sunt illi, quibus, auxiliante natura, materiæ pituitariæ magna quantitas fuit egesta, quod et *Lipsio*, uti jam supra monui, evenit.

De nonnullis complicationibus.

Pravitatem morbi nostri epidemici non magis videre est, quam in complicationibus, quæ etiam discrimina recipiunt. Nam cum non solum vitii sed et curationis ratione a præcedentibus distent, omnimodam medici desiderant attentionem. *In ista enim morborum curatione non tantum assiduo speculatu uti debet medicus, ut*

---

(1) Vid. cel. *Gruner* in Semiolog.

causas sedesque malorum, quoad fieri potest, perspiciat, ut naturæ vires et copias accurate æstimet, ut opportunitates agendi discernat; ut idoneam inveniat medelam; sed & futuros casus velut ex specula prospicere, ne inexpectatis eventis identidem conturbetur, neve intempestiva medicatione ægris ac sibi ipsemet plus noceat, quam profit (1).

Morbum complicatum non cum morbo anomalo esse confundendum, jam supra monui: interim difficile interdum, id præstare, propter summam, quæ inter hos morbos intercedit, similitudinem. Potest enim æque facile morbus, *Sydenhamo intercurrens* dictus *prædominans epidemicum imperium*, præeunte perill. van *Swieten* (2) *sentire*, quam ut ipsa materia biliosa, certa modificatione prædita, eundem excitet. Sic pleuritis febri biliosæ superveniens, sistit morbum complicatum; cum e contrario, morbi anomali nomen fert, quando illam, materia biliosa ortam scimus.

Morbum complicatum tibi concipere debes, instar morbi, cui inest vis intensa, optime dixit cel. *Nietzki* in egregia dissert. de *febribus complicatis* (3) Innumeris observationibus rectitudinem hujus asserti confirmare possem. Sed

---

(1) Vid. illust. *Hahnii* orationem de medico speculatore Lugd. B. 1775.

(2) Vid. commentar. tom. V. p. 153.

(3) Halæ 1753. p. 51.

cum nimis longum foret, singulis complicationibus inhærere, neque id esset admodum proficuum; maxime memorabilibus et in praxi medica bene attendendis expositis, reliquas silebo.

Primo loco ponenda est graviditas, quæ, quamvis ipsa morbus non sit, tamen ob eam causam, quia negligitur, eo magis periculosa. Nam cum durante graviditate, exorta mala; uteri incremento tribui soleant indiscriminatim: haud mirum, vel sagacissimas feminas, quin et medicos, hac in re, decipi, quam frequentissime. Videre hoc in nostra epidemia quotidie contigit.

Multæ, quarum conditio tolerabilior, conflictabantur symptomatibus stadii imi, quibus dysuria et pertinax alvi obstructio accedere solebant. Aliis, propter continuos vomitus, vel dolores dorsi artuumque, partus, ante definitum tempus, erat extimescendus; in paucis tamen tantum abortivus, sive præmaturus. Acrior quidem casus illarum erat, quibus ipsa febris insurgere cœpit; quæ tamen ut plurimum servatæ sunt, dummodo adhuc a partus tempore abessent. Quando autem correptis febre partus instaret, vix hac re quidquam potuit esse calamitosius. Nam sopore atque rigore detentæ, vel convulsionibus jactatæ, paucas horas, post partum editum, moriebantur vix non omnes, vel saltem triplo solito plures. Neque primi-

param 36 annorum, cui brevi ante partus tempus febris biliosa incursabat, quamque, propter viarum angustias et dolorum legitimorum absentiam, forcipe *Levretiana*, feliciter quidem satis, ab infante robusto liberaveram, a morte insequente servare potui.

Similem feminæ, ad quam propter difficilem partum, die, a quo inceperant dolores secundo vocabar, præsagire debui eventum fatalem. Brachium infantis, pridie adhuc vivi, ad humerum usque ex partibus verendis propulsum, et bullis nigricantibus, sphacelum indicantibus conspicuum, uteri matrisque, jam ante aliquot tempus, variis symptomatibus febris biliosæ, et præsertim diarrhæa, atque talibus, quæ *Epicratis* (1) uxori acciderunt, vexata, statum putridum satis superque indicabat, quem manus mea, infantis situm explorandi causa utero immissa, humore nigro fœdoque, non sanguine, conspurcata, satis superque confirmabat. Auxilio hinc succurrere primo recusabam certa morte perituræ. Sed propter adstantium continuas preces, nollem miseram hanc deserere, fidem dedi marito, me quævis quidem in arte posita velle tentare; nihil cæteroquin promittere. Immissa hinc utero manu sinistra, quia dextræ obstabat caput, infantem pedibus arreptum, secundum regulas artis, quas hic

(1) Vid. *Hippocrat.* de morbis vulgar. libr. I. æger. V.

describendas prætermitto, quia de his apud auctores, qui de arte obstetricia scripserunt, inter quos cel. *Stein* eminet, quem honoris atque reverentiæ causa compello, quia præceptore illo sum usus, legi potest, in situm illum commutavi, ut hæ partes locum inferiorem occuparent. Qua cita, quamvis difficili, nec tamen, quod pessimi ominis erat, vix dolorem excitante operatione, tantopere afflicta est parturiens, ut spiritum ultra trahere nesciret. Destiti hinc a proposito, ne manibus auxiliatricibus mortis inevitabilis, a male volentibus, tribui posset causa. Quia autem propter ingruentem noctem domum me conferre non poteram, maritus atque ipsa parturiens, quæ post assumpta antiseptica atque analeptica vires quodammodo collegerat, lacrymis me adierunt: vellem ab infante liberare, certissima morte alias extinguendam; manus dedi victas, et infantis cadaver extraxi ex utero.

Lecto nunc assidens, ex inquietudine atque rigore, quo nunc parturientem videbam prehendi, me recte præsagiisse, mox animadverti. Postero enim die, fato cessit optime confirmans illa magni *Hippocratis*: *quæ ante partionem in modum choleræ morbi affliguntur* —; *febre tentatæ, maligne habent, tum vero præcipue, si quid fauces vexet, aut in febre maligni aliquid appareat* (1). Confirmatur etiam novo hoc

(1) Vid. coacar. prænot. n°. 535.

exemplo sententia cel. *Ernesti Platneri* (1); citra inflammationem, malignam gangrænam incipere posse, sistentis. Partum enixis frequentior quidem erat febris casus, sed minus periculosus. Recta adhibita medela servatæ sunt, quæ me medico satis mature utebantur, quantum scio, omnes, cum e contrario, vel nullis vel perversis adhibitis remediis, interierint haud paucæ, febre putrida antea accensa. Febris his accedebat vel eodem partus die, vel secundo, vel, quod frequentius die quarto (2), ingenti abdominis dolore stipata, et per stadium primum, jam diu ante editum partum, prædicta. Dolor regionem inguinalem occupans, cum duritie quadam et tumore insignis, uterum inflammatum arguere videbatur, cujus suspicionem lochiorum interceptus fluxus, qui tamen in aliis aderat, quodammodo auxit. Sed accurato instituto examine, quod eo melius, propter propriæ meæ uxoris morbum fieri potuit, inflammationis memorabilis metus cito evanidus est redditus; dum saburra biliosa, haud ægre detegenda, atque spasticas in intestinis contractiones excitans, nunquam in his sit visa, methodoque medendi comprobata. Nam vix aliis quam contra febrem biliosam, infra lau-

(1) Vid. Supplem. IV.

(2) Plerumque epidemiæ phœnomena ad quartum quintumve a partu diem, lacteæ forsan febris ope, in actum ducebantur. Vid. van den *Bosch* l. c. p. 241.

dandis remediis, opus habebant parturientes, venæ-sectione atque corticis præmaturo usu, in deterius ruentes. Paucis; æque in his casibus, morbi dominantis ratio erat habenda, ac fermentum febris intermittentis, in parturientibus a *Mortono* accusatum. Iisdem medicamentis, quibus *Mortonus* utebatur, opio nimirum atque China, febre nondum in statum putridum mutata, meas, nullus dubito, jugulassem ægrotantes. Quibus autem, propter perversam medelam, vel propter malam humorum qualitatem, id vitii genus accedebat, haud procul ab inflammationis vel febris putridæ periculo. quo vix subtrahebantur, aberant.

Molesta etiam erant feminis lactantibus incommoda febris, quæ maxime tunc temporis insurgebant, quando præmature lectum desererent, vel vitia in diæta committerent. Tussis his accedebat, et proclivis erat lentescens febris. Proxime præcedenti accedit malignitate complicatio verminosa, dirissimis symptomatibus, et nonnunquam febre putrida stipata, genti judaicæ, durante hac nostra epidemia, admodum molesta. Sed cum hac in re, doctrina atque experientia præ aliis eminens cel. van den *Bosch* adeo multus fuerit, ut ejus observationibus plura addere vix possibile videatur, ad hunc auctorem, qui egregie dixit: *attentiores practici jam dudum observarunt, vermes in constitutionibus epidemicis biliosis, præ cæteris gras-*

sari (1), quemque nocturna diurnaque manu volvisse non pœnitebit, lectores ablegatos volo. Moneo tantum : hac in nostra epidemia, vermes præ aliis partibus, ventriculum maxime irritasse, et hinc sæpius per vomitum, cum plenaria morbi solutione, esse rejectos. Ad ductum naturæ vomitoria hinc sæpius utiliter tentavi.

Dein, symptomata ex sententia *Hænii* maligna, nunquam frequentius, quam sub statu colluviei vermium sunt inventa, febrisque vere putrida inde sæpe accensa.

Tandem non prætermittenda animadversio *Cælii Aureliani* multoties confirmata. *In augmento accessionis febrium*, inquit, *exclusivi vermes turborem altiorum partium ostendunt, et magis si fuerint sanguinolenti ; in declinatione vero, laxamentum, sicut cætera, hoc est stercorum vel urinæ, vel quorumlibet officiorum egestio. Etenim laxatis corporibus reddi videntur* (2).

Post gravia vulnera, præcipue post vulnera capitis, identidem febrem biliosam, cujus antea ne vestigia quidem adfuerant, excitatam vidi, mox suppurationem parum retardantem, mox vero ulcus malignum irritantem. Neque febris, neque vomitus viridis bilis, unquam in his erant in ratione vulnerum, sæpe jam sanatorum, febre à tenore nondum remittente.

---

(1) Vid. l. c. pag. 122.

(2) Vid. *Cæl. Aurel.* de morbis chronic. l. IV. c. VIII.

Femina octo mensium gravida, in terram incidens, forfice acuta percusserat genu ad patellam usque, osculo angusto vulnere hiante. Primo die neglexit malum; secundo autem chirurgum vocari jussit, qui vulnus aperire negligens, emplastro tegit; tertio accenditur febris acuta, & biliosæ indolis, partibus vicinis ingentem in modum intumescentibus; quarto, loco puris, fertur sanies; quinto accedit insania; sexto, cum ego vocarer, sine omni sensu, partum edit mortuum; extincta est die nono.

Sequar nunc illum casum, qui vel tussim inveteratam, vel aliud pectoris vitium latens conjunctum habet. Febris biliosa his superveniens, propter tussim admodum molestam, identidem, non tamen semper, quod sæpius sum admiratus, excitavit vel tabem vel phthisim corporis. Quando autem tusssi biliosæ, jam diu antea corpori inhærescenti, accederet febris, putrida ea est interdum reddita, quæ præceps afferret periculum. Tussis biliosa, gravis atque sicca, per multas septimanas, excercuerat puellam 20 annorum, ferme tabidam inde redditam, cui, post assumptum emeticum, quo magna quantitas materiæ biliosæ fuit egesta, subito accensa est febris putrida.

Mala etiam, quæ cum erysipelate conjuncta procedebat, complicatio nominanda nunc est, dum facili negotio, quod nuper adhuc vidi, nervis antea stupefactis, in gangrænam vertitur.

Jam sæpius antea igne sacro laboraverat patiens, cucurbitularum, ipsi loco affecto applicatarum, ope, cito semper sanatus. Sed hoc auxilii genus quamvis suaseram, nunc neglexerat æger, potius in repetita venæ sectione, ab illust. *Zachar. Platnero* (1) rejecta, custodiam quærens; unde tantopere vires ei sunt fractæ, nervique stupefacti, ut mirum non esset, morbum, levi febre biliosa auctum, in gangrænam abeuntem videre, optime sic confirmata sententia cel. *Ernesti Platneri* (2). Solo corticis usu superari hoc malum non potuit, sed laxantia atque acida huic medicamini erant jungenda. Externæ autem efficaces contra morbum erant profundæ scarificationes.

Omnium pessima complicatio illa, quæ cum variolis oriebatur. Non sine insigni animi mœrore febrem, vel magis pestem variolosam, primo vere 1779, in hac nostra urbe pessime sævientem, nominare queo. Nam cum multi civium nostrorum, durante hac tempestate, febre biliosa laborarent: istud virus, undique versum, adeo est disseminatum, ut et corpora infantilia occuparet. Cui adjunctum virus variolosum, heu! quantam stragem nostræ urbi intulit. Variolæ secundo statim die erumpentes, vix se elevantes, statim regredientes, jam

(1) Vid. Chirurg. pag. 77.

(2) Vid. Suplement. IV. pag. 101. etc.

quinto, post eruptionem, die, sphacelescere incipiebant, neque ullum servabant typum. Quare recte pronunciavit optimus Præceptor cel. *Nietzki : Quo magis typus febris complicatæ, à typo febris simplicis abhorrere videtur in casibus subnatis, eo major hic quoque differentia obtinebit, nec difficultate carebit, cognoscendi initium, incrementum statum & declinationem* (1). Omnia signa bilis ex ore, lingua, vomitibus viridescentibus, et excrementis nigris desumenda, nunquam non aderant. Inter has calamitates, quibus puriora pectora dederat Titan, pauci de inoculatione variolarum serio cogitare cœperunt. Divertebantur ad me adhucdum hæsitantem: cum autem precibus instarent, ulterius resistere non valui. Primum esse putavi, corpora a materia biliosa liberare, atque dein liberata inoculationi submittere. Quod ita præstitum, egregios edidit effectus: sic enim benignis variolis, vita infantum fuit servata.

De nonnullis digressionibus.

Morbus, qui neque complicatus, neque anomalus dici potest, a legitimo tamen ordine deflectit, singularem quoque desiderat animadversionem. Ejusmodi casus autem in nostra epidemia minime defuere. Sic febris interdum tam

---

(1) Vid. elementa Pathol. pag. 571.

brevis fuit decursus, ut intra nycthemeri spatium esset absoluta : ephemeram dixisses, nisi à natura vomitum biliosum excitatum, vel diarrhœam salutarem vidisses. Sed quanto pejor morbus in casu sequenti ! occupabat nempe febris biliosa plures in eadem domo decumbentes, inter quos puero decem annorum, ex pustula circa angulum sinistrum oris, tam pravæ indolis ulcus est enatum, ut non solum hunc angulum, sed etiam hujus lateris buccas, imo et gingivas, ad ossa usque, sphacelo, pessimum odorem spargente, trium dierum spatio, penitus consumeret, et morte insequenti, calamitatibus pueri, et quatuor aliorum, simul in eadem domo decumbentium, egenorumque hominum, optimum sic imponeret finem.

An casus sequens etiam hic locum habet ? Vidi hominem primis morbi diebus laborantem febre biliosa regulari, quæ autem dein alternis diebus remissior est facta. Die exacerbationis autem alto sopore, per aliquot horas, sepultus jacebat homo, haud absimilis casibus magni *Werlhofii*. Febrem semitertianam soporosam dixisses. Quod restat, medicamentis antibiliosis feliciter et brevi est restitutus. Chinam vero non ante plenariam eductionem materiæ biliosæ sumpsit.

Maxime etiam à statu illo benigno, in stadio primo et secundo enarrato, recedebat sæpenumero febris, natura sua maxime biliosa,

sed perversa victus ratione, vel arte medica perverse applicata, in synochum putridam mutata. Æque de his, quam de illis complicationibus paulo supra commemoratis, optime pronunciavit illust. *Vogelius : ejusmodi vero febres, aperte vel ad intermittentes quotidianas, vel ad synochum putridam pertinent ; nec ut nostræ biliosæ, sed ut malignæ putridæ curari debent.* Sed quæ his subjungit cel. auctor : *adeoque nomine biliosarum latiore ac improprio sensu : ceterum confusiones multas pariente, insigniuntur* (1), ad me pertinere non videntur. Nam eadem materia simplex, non turbata, nec cum aliis morbis complicata, quæ in his febrem biliosam accendebat, in aliis, quod infra docebitur, morbos non febriles, ut tussim, sanguinis profluvium, et ejus generis plura, irritasse est visa. Taceo exemplum cel. *Tissoti*, qui epidemiam *Lausannensem*, biliosam nuncupat. Provoco magis ad methodum antibiliosam. Sic in casu novissime proposito china carere potui, quia non ea erat exquisita semitertiana, in qua monente *Lomnio*, *paribus fere portionibus et intermittentis tertianæ, quotidianæ continuæ subest materia* (2).

---

(1) Vid. Prælect. pag. 58.

(2) Observat. med. pag. 21.

De crisi, sive de naturæ moliminibus.

Judicationem perfectam, quam, interpretante *Lomnio* (1), et fidam, et certam, et securam, et evidentem esse decet, raro in hoc morbi genere absolvit sibi relicta natura, sed corpus ut plurimum, diu post febrem superatam, materia inutili onustum restat. Neque etiam crises subitaneas hic tuto expectare possumus. Rari saltem sunt casus, in quibus natura omnem vim morbi, uno impetu depellit. Emeticum præscripseram homini valde id odio habenti; hinc sumpserat pharmaci partem tantum dimidiam, quæ vomitum non ciebat. Jussi hinc id sequenti die repetere. Sed quid evenit? Nocte, quæ secundo emetico antecessit, somno evigilans, et emeticum se sumpsisse per insomnia credens, vomuit vicibus repetitis, et sequenti mane ferme sanus prodiit.

In aliis, ad depellendum hostem, non ita prompta auxiliatrix inventa est natura. Dies enim indiciales haud tanti, in hoc morbo, esse valoris, quanti in aliis æstimantur, vel mea vice, *Baglivius* testatur, inquiens: *sæpe inutile vidi esse dies criticos, eorumque vim atque potestatem observare* (2).

---

(1) L. c. p. 40.
(2) L. c. p. 52.

Urinam nullo alio in morbo tam variam, tamque inconstantem vidi, quam in eo, de quo sermo fit; quod vel longitudinis vel periculi, uti jam antea dictum est, indicium erat. Febres tamen tertii supra positi generis, atque cum inflammatione quadam conjunctæ, excipiendæ, dum non turbatæ, diebus criticis essent adstrictæ, et laudabile quid in urina deponerent. Reliqua genera autem solvebantur lenta lysi, successive, e corpore, materia egrediente, per vias, materiæ biliosæ maxime vicinas.

Quod si qua animadversio in curatione horum morborum attentionem meretur, certo hæc modo dicta, quæ medici consilium, in dijudicandis casibus dirigit, decernitque; *an in incipientibus morbis aliquid sit mutandum*; vel quamdiu *in vigentibus quiescendum* (1), memoriæ est mandanda.

Viæ, per quas materia e corpore ducitur, variæ sunt inventæ. Plerumque hoc fit vel per vomitum; vel per diarrhœam; nonnunquam per sputa; raro per sudorem, vel exanthemata chronica; nunquam, quantum ego animadverti, per hæmorrhagiam.

Metastases raro vidi. Sequens casus tamen memorabilis. Puer sex annos natus vix febrem

---

(1) *Hippocr* Aphor. II. N°. 29.

superaverat,

superaverat , cum illi crus dextrum tumere atque dolere inciperet. Parentes et ego ulcus futurum expectantes , cataplasmata calida loco affecto imponi curavimus , sed absque effectu bono. Nam nulla neque magnitudinis neque duritiei mutatio in crure est inventa. Propinata hinc sunt medicamenta resolventia atque diluentia. Urina nunc non solum liberior fluere , sed et materiam albam gelatinosamque deponere incepit , cum decremento tumoris. Continuatis dein diureticis atque resolventibus, dolor disparuit ; et tumor , materia per urinam quotidie secedente , evanidus est redditus.

Parotides , tantum bis , ad summum , ter , vidi.

De salubritate febris biliosæ.

Id sane ex sententia *Celsi* mirum : *eamdem rem corpora affligere , atque in aliis saluti esse posse.*

Quid febre biliosa deleterius ? Quid varia ejus forma generi humano gravius ? An salutare potest esse id , cujus pravitatem in singulis paginis nunc demonsravi ? Sed ita sane providentia naturæ , tam diligentis tamque solertis esse jussit , ut inde , monente *Cicerone* , possit *intelligi , quantæ res hominibus a Deo , quamque eximiæ sint tributæ* (1). Ab obstructionibus vis-

(1) Cicero , de natura Deor.

cerum inveteratis, et præcipue a mala digestione, ex cruditate atque visciditate orta, liberatos, post febrem, vidi haud paucos. Senibus præcipue, dum viscidam materiam gerant, id evenit quam maxime. Orthopnœa atque asthmate jam multis retro annis laboraverat virgo 40 annorum, quæ febre biliosa, ab his, felici liberata est eventu. Innotuit mihi dein alia femina, quæ diu ante febris incursum, miris phantasmatibus melancholicis torquebatur, quæque vim medicam febris, contra hunc morbum, sensit egregiam. Reliqua exempla nunc taceo.

De methodo medendi.

Hactenus de morbi natura disputata sufficient. Nunc methodus medendi æstimanda, atque ita tradenda esset, uti cuilibet stadio atque generi, convenit quam maxime.

Quævis huc spectantia capita paucis verbis attingam, observationes meas magis interserendo, quam generalem methodum medendi, febri biliosæ accommodatam, monstrando, jam a celeberrimis in arte medica viris, ut *Pringlio* atque *Tissoto*, quorum opera in manibus omnium versantur, satis superque expositam.

Curationis principium autem ab animadversione *stadii primi*, sive illius temporis, quod futuræ valetudinis notas exhibet, est faciendum

Istud tempus vero, cum leviter tantum homines affligat, præter exquisitam victus rationem, quæ carnes, jura carnium, lac, et ejus generis plura, a mensa excludit, et res ex medica materia acidulæ indolis postulat, fugamque causarum occasionalium jubet; vix, quibus multa mole pugnatur, desiderat alia. Incidunt tamen etiam interdum casus, ut præter resolventia digestiva, adhuc alia, vel ad alvum liquandam cohibendamve summe sint necessaria. Huic indicationi satisfaciunt vel simplex cremor tartari in sufficiente quantitate sumptus, vel dyacridio sulphurato acuatus; vel electuarium lenitivum Edinburgense; vel mixtura denique ex sale mirabili Glauberi cum Tamarindis, per decoctionem, præparata. Si alvus liquida et frequens erat, rheum cum sale ammoniaco profuit.

Hæc omnia immortalis *Sanctorius* (1) sequenti aphorismo egregie exprimit: *nemo incidet in morbum, si sedulo prævideat, ne cruditatibus laboret.*

Stadium secundum, cum sit magis acutum, fortiora, cum id ipsum suas habeat diversitates genericas, alia atque alia desiderat medicamenta. Videndum autem semper antea, an morbus sit primi, secundi, vel tertii denique

---

(1) Vid. *Sanctor.* static. sect. III. n°. 89.

generis, ut pote quæ non solum communes indicationes, sed et proprias habent.

Indicationes communes sunt sequentes:

I. Materiam biliosam ad superiora vergentem, quam cito fieri potest, per vomitum eliminare.

II. Quæ cruda sunt, non movere, sed antea concoquere; atque scire, ad inferiora loca destinata, ferme semper cruda esse: tempore hinc atque medicamentis egere.

III. Coctam materiam evacuare per colatoria materiæ biliosæ vicina.

IV. Putredini resistere.

V. Complicationum atque symptomatum rationem habere.

Sequar nunc indicationes speciales, quia generales uberius exponere vix operæ pretium, vel saltem hujus loci non est.

Duas autem indicationes proprias sibi vindicat genus primum:

1. Viscidam materiam pituitariam medicamenta incidentibus solvere.
2. Omne id vitare, quod viscida inquinamenta posset impacta reddere, eorumque egressum impedire.

Secundum genus sequentes habet indicationes speciales:

1. Materiam, quæ acrimonia spasmos atque diarrhœam efficit, blandis medicamentis lenire, atque diarrhœam sistere, donec materiam coctam habeas.
2. Coctam materiam quidem evacuare, sed et debilem naturam roborantibus sustinere.

Genus tertium, præter indicationes generales, vix alias desiderat.

Circa indicationes secundarias, cum de his in tractationis parte secunda agetur, nunc in præsentiarum non moror, ad expositionem indicationum specialium transiens.

Propter materiam primi generis per eminentiam viscidam, prima ponenda fuit indicatio specialis.

Omni hinc tempore medicamenta, tenacissimam materiam dividendi vi prædita, largiter, et diu continuanda, propinavi.

Elegi non solum ad vomitum ciendum, sed et resolutionis causa, tartarum emeticum, cuilibet ætati accommodatum, et infantibus simul tutum, dummodo in quantitate non peccetur, uti hoc ex infra dicendis apparebit latius. Addo tantum, me resolutionis scopo, *solutionem tartari*, quæ constat ex tartari emetici gran. I. et aquæ simplicis uncia I. guttatim mixturis aliis sæpius addidisse.

Magnas autem, ut egregia illa resolventia atque digestiva e. g. Sal absynthii cum aceto vini saturatum, vel mixturas illas salinas à

Pringlio præscriptas, quæ nunquam non mihi in usu fuere, taceam, merentur laudes sal mirabile Glauberi; pulvis digestivus *Tissoti* (1); dein kermes minerale; pulvis alterans *Plummeri*; et à *Lyson* laudatum calomel. Quæ, dum, multis diluentibus juncta, viscosissimam materiam egregie dividant, circumspecte adhibita, optimos identidem, in hoc primo morbi genere, ediderunt effectus. Posteriora medicamenta autem, cum heroicis, in febribus saltem, sint adnumeranda, in parva dosi à granis 2 ad grana 3, semel de die, raro bis, et nonnisi mixturis salinis antea præmissis, vel iis inutiliter tentatis, nonnunquam in his febribus, sed frequentius in morbis infra dicendis biliosis anomalis, laxantibus junctis propinanda dedisse, nunquam me pœnituit. Nam his, ut cum *Galeno* loquar; *crassi atque viscosi succi præsubtilitantur, inciduntur, atque meatus, per quos transmittuntur, aperiuntur, ut purgatio quam optime usquequaquam sperari possit* (2). Nec, qui ita agunt, incidunt in errorem, quem quam maxime reprehendit *Hippocrates* dicens: *quicumque ea, quæ inflammantur, statim in principio morborum medicamento solvere adgrediuntur, hi de intento quidem & inflammato nihil auferunt: nam non remittit affectio, quæ adhuc cruda est;*

---

(1) Vid. lib. de febre biliosa Lausannensi, pag. 31.
(2) *Galen.* lib. de purgatione. Paris. 1528.

quæ vero morbo resistunt, atque sana sunt, colliquefaciunt. Debili vero evadente corpore morbus invalescit (1). Applicari hic quodammodo etiam possunt, quæ *Boerhaavius* de atra bile inveterata atque impacta pronuntiavit. *Si evacuantibus tunc*, inquit, *pugnatur, sani & facile mobiles humores expelluntur; tenaces malique hærent, unde pejor morbus* (2). Pluribus hæc omnia confirmantur in egregia dissertatione cel. *Brendelii de seriori evacuantium in febribus usu.*

Quousque autem cum resolventibus, temperantibus atque diluentibus esset continuandum, donec laxantibus daretur locus: vix non unice ex signis coctionis, præcipue ex lingua atque urina depromendis, patebat clare. Quando autem huc ventum erat, laxantia repetita, nec numero determinanda, postulabat morbus. Quid quod! ad decimam purgationem alvinam me sæpius confugisse memini, et annotationibus meis insertum reperio, ultra decimam esse reiteratam. In epidemia *Lausannensi* ter tantum, ad summum quater, alvum movere se coactum fuisse, refert illust. *Tissotus* (3). Quod ad remedia autem attinet, sumpsi vel mixturam tamarindorum supra laudatam, vel pulveres ex cremore tartari atque diacrydio

---

(1) *Hippocr.* de victus ratione, n°. 36.
(2) Vide aphorism. 1100.
(3) Loc. cit., pag. 33.

sulphurato confectos, qui et in infantibus tuto atque sine incommodo possunt adhiberi.

Rheum è contrario, sal sedlizense atque manna, cum expectationi non responderent, raro sunt data. Prius enim, quod jam observavit *Forestus* (1), calorem in febribus hujus prosapiæ auget : posteriora autem sanos et facile mobiles humores tantum expellunt, atque viscida coërcent, vel saltem bilem non detrahunt.

Qui securitatem consequi volunt, regulam illam *staticam : quo major est cuique evacuationum latitudo, eo minus is morbis est obnoxius* (2), maxime ad egestionem alvinam applicabunt, neque à laxantibus prius desistent, quam cum linguæ radicem ab omni immunditie liberam vident. Plerumque præstabat, laxantia ita dividere, ut per epicrasin tantum alvum moverent. Nonnunquam autem adeo urgebat periculum, ut medicamenta essent rapienda, atque festinatione utendum. Cujus regulæ neglectum in femina, multos quidem annos nata, sed adhuc vegeta atque valde obesa, in mortis causam abeuntem vidi. Nam cum vires illi propter morbi diuturnitatem, nam tres septimanas jam decubuerat, non superfore intelligerem, si, uti hactenus factum erat, in nimis refracta

---

(1) *Forest.* lib. II. pag. 203.
(2) Vid. *Keil*, aphor. static. pag. 18.

dosi propinarentur medicamenta : fortiora atque frequentiora danda suasi. Sed unus ex familia, vir dignitate atque eruditione præ aliis eminens, scrupulum sententiæ movit, rationem interserens : majorem à medicamentis laxantibus, quam à diuturnitate morbi esse extimescendam corporis debilitatem. Medicinam hinc illi ulterius facere recusavi, quæ paulo post dira morte est extincta.

Transeo nunc ad indicationem secundam specialem generis primi, cui satisfacturus omne id vitare debet, quæ egressui pravæ materiæ impedimento esse possunt. Exulent ergo omnia adstringentia, nec non cortex peruvianus a *Tissoto* in hoc morbi genere rejectus, et à *Baglivio* in morbis mesentericis proscriptus, utpote qui chinam in his morbis damnabilem appellat medicinam.

Quamvis hæc *Baglivius Romæ et in aëre* scripserit *romano*, (1) nulla tamen inde in nostris terris magis tuta contra hanc febrem, corpore adhucdum substante impuro, parari potest medicina. Interim tamen cum *Plinio* dolendum, *hanc esse omni in re animorum conditionem, ut ex necessariis orta primo, cuncta pervenerint ad nimium.* (2) Sunt enim inter nostrates quidam, et ex medicis Belgii fœderati

---

(1) L. c. p. 13.
(2) Plin. Libr. XXVI. Cap. IX.

innotuerunt mihi plures, qui febrem hanc biliosam, morbum malignum nuncupantes, chinam statim in principio morbi, post assumptum unum alterumve laxans, in haud parva quantitate, visceribus adhucdum materia cruda inquinatis, propinare audent. Quo bono vel malo eventu autem id faciant, mali moris inde relicti morbi, satis superque comprobant; doletque adhucdum quotidie tam perversæ medelæ victima reddita ingens copia nostrorum incolarum, ex Hollandia præterito autumno redeuntium. Pugnare quidem pro horum medicorum sententia videntur vel magnæ, quas cortici chinæ in absorbenda bile tribuit laudes Cel. *Torti* (1); vel etiam celebria illa nomina *Bianchi* (2), atque *Cleghorn* (3), qui experientia suffulti, toxicum epidemiæ feliciter, hoc remedio, expugnaverunt. *At in casu epidemicæ constitutionis*, inquit *Sydenhamus*, *non jam illa methodus adhibenda est, quæ iis debetur, quoties sunt morbi essentiales, at ista potius, quam postulat sibi morbus, cujus nunc sunt symptomata, ad quorum quidem curationem illa leviter tantum inflectenda est* (4).

Animadversiones propriæ autem effecerunt, ut *Baglivii* sententiam ambabus ulnis amplecte-

---

(1) Torti Therap. Spec. Francof. et Lips. 1756. p. 32.
(2) Bianchi hist. hep. part. III. p. 287.
(3) Cleghorns Beobacht. u. j. w. uiberjebt non Hoermonn, pag. 204.
(4) L. c. Sect. VI. Cap. I. p. 326.

ret, et ne hilum quidem ab eo discederem. En exempla quædam!

Anno 1776, cum morbi naturam nondum satis intelligerem, ad feminam 30 annos natam, et febre biliosa primi generis correptam, quarto morbi die vocabar. Propter vomendi conatum dedi emeticum, quod aliquoties vomitum viridis bilis, non sine levamine ægrotantis, excitavit. Sequentes dies digestivis salinis transigebantur; et dein laxantibus dabatur locus. Cesserant hactenus omnia bene: mucus in lingua, saltem in alteriori ejus parte, haud amplius erat conspicuus; nec anxietates ultra vexabant, alvo quotidie bilem deponente. Propinavi nunc decoctum corticis chinæ cum Tinctura rhei aquosa junctum, cochleatim quater de die sumendum. Primo jam a sumpto medicamento die, pejore loco esse videbatur ægra, atque quodammodo anxia. Pergebat ea tamen sequenti die, incommoda non materiæ biliosæ, sed aliis causis tribuens, medicamento uti. Sed effectus spei non respondebat. Nam reditus appetitus jam jam imminuebatur, nec alvus recte respondebat, et anxietates crescebant. Si mihi decumbentem hoc die videndi fuisset occasio, medicinam seponendam jussissem, quam nunc in majori quantitate, quam prescriptum erat, ingurgitant propinqui: sed absens eram. Pergunt hinc non solum hoc die, sed et die tertio. Quid quod! jusculum ex

cerevisia cum multo pane nigro decoctum, in mulierculæ id aversantem ventriculum infundunt. Vix cœna sumpta, ingentibus prehensa est anxietatibus, quas medicamento chinato corrigere tentant; sed jugulant semimortuam. Paucis: sequenti die rediens, mortuam illam audivi. Qua subitanea atque inopinata morte perterrefactus, atque simul persuasus: me catalogum errorum medicorum usu non carentium, et ab Ill. *van Dævern* (1) enumeratorum, novo hoc exemplo auxisse, circa usum corticis chinæ, in hoc morbi genere, majori circumspectione uti, nec unquam illum ante plenariam materiæ biliosæ eductionem adhibere, haud cunctanter statui.

In aliis casibus haud quidem æque sinistre cessit tentamen; sed inde anxietatum turbas omni tempore adeo vidi auctas; ut me ab usu hujus medicaminis arcere, et ad digestiva vel laxantia redire, res et morbi genus juberent. Hoc non solum vidi in Chirurgo, quodam, maxima ex parte a materia biliosa liberato, et chinam sibi non dari ægre ferente, quemque alterum cochlear decocti corticis Chinæ ad orci limina ducere videbatur; sed in propria uxore instituta experimenta me hac in re adhucdum hæsitantem magis atque magis postea edocuere. Nam cum illi, quarto post enixam puel-

---

(1) Oratio de erroribus medicorum usu non carentibus.

Iam die, febre biliosa prehensæ, et postea jam uti videbatur, a materia biliosa liberatæ, auctoritate *Mortoni* atque *Torti* Chinam cum Rheo propinare non dubitaveram: subito illa sensit incommoda ab anxietatibus oriunda, atque ingentem pectoris oppressionem. Deserui hinc antesignanos modo dictos, eorumque methodum medendi, et ad eccoprotica redii. Quibus dein per aliquot dies sumptis, denuo tentavi Chinam, quam nunc, cum reditu optimæ sanitatis, egregie ferebat.

Neque magis in morbis illis anomalis, in quibus simile fermentum biliosum subest, corticis celebranda virtus erat. Factum est inde, ut sæpe viderim homines non febrientes, propter præsentiam hujus materiæ autem admodum debiles, quos china confirmare tantum abfuit, ut et cum Rheo conjunctus cortex sæpe non prodesset. Evacuantibus magis in his casibus etiam locus erat concedendus.

Identidem ex me quæsivit rationem femina a materia hac biliosa non libera, cur sibi nunc temporis China non esset remedium utile, cui præcedentium annorum valetudinem secundam deberet? cui modo antecedentia respondi. Simile etiam in multis aliis vidi.

Materia biliosa primi hujus generis, fermenti instar est habenda, quæ vel in minima portione lædit, et assumpta quodammodo homogenea, in suam perversam naturam trahit; et cum hæc

in corporis molem neque abire, neque nutrire possint : natura, quod ex *legibus staticis* (1) constat, tantum onus recipere non idonea, vel opprimi debet morbo, vel evacuatione præternaturali liberari. Sed cum neque extrahat China, neque emendet causam morbi : nobile istud remedium ignominia affecissse neutiquam videbor, si in his casibus subnatis inutilem dixerim medicinam. Profuit magis interdum, dummodo febris abesset, Elixirium Vitrioli, vel nobilis illa combinatio, cujus gloria apud Ill. *Zimmermannum* percelebris est, quæ fit ex partibus æqualibus Olei vitrioli et Alcaholis.

Quæ hactenus de noxio Chinæ usu in medium protuli, non ultra statum impuritatis corporis esse extendenda, vel haud monitum quemlibet intelligere oportet. Neutiquam fidem derogare medicinæ minor, omni tempore auro argentoque comparandæ.

Hac methodo trecenti et ultra feliciter sunt servati, dummodo in febrem putridam non incidissent ægrotantes. Nam quemadmodum *facilis*, monente *Lommio*, *a continente non putrida in putridam transitio est* (2), sic etiam in hoc morbi genere sæpe usu venire, in Capite de Digressionibus dictum fuit. Sed hoc maxime, si a complicationibus, vel a corporis statu

(1) Vid. Keil Aphor. stat.
(2) Lommii Observ. mod. p. 4.

cacochymico discesserim, vitium erat vel ægrotantium vel medentium. Nam quid abusus venæsectionis; laxantium; (1) spirituosorum; vel neglectus potus diluentis, munditiei, atque aëris, curæ efficere non possunt?

Transeo nunc ad secundum genus morbi supra descriptum, in quo alvus cita peccat, et quod priori adeo e diametro oppositum est, ut in diversas curandi vias procedens, illa verba *Sydenhami* hic prætermittere non possim: *febres continuæ*, inquit, *ita toto, quód aiunt, cælo differunt, ut qua methodo, currente anno, ægrotos liberaveris, eâdem ipsâ, anno jam vergente, forsitan e medio tollas* (2).

In hoc morbi genere radix ipecacuanhæ potior esse solebat tartaro emetico, quia hæc minus alvum liquat. Propter eamdem etiam rationem a medicamentis supra laudatis stimulantibus, alvumque irritantibus sedulo erat abstinendum. Eligenda potius talia, quæ præter vim resolventem, vi, ut ita dicam, stiptica, nervisque blandiente, atque putredini resistente erant prædita; omne dein studium in eo erat collocandum, ut imminentis febris putridæ periculum procul abigeretur. Mixturæ salinæ, ut sal absynthii cum aceto vini saturatum, aquis analepticis mixtum, et spiritu

(1) Dici non poteſt, quantopere interdum intempeſtiva laxantia bilis acrimoniam augeant.

(2) De morbis epid. Cap. 2.

vitrioli temperatum, grate utiliterque ab his hauriebantur. Quibus dein, mutatis mutandis, addebatur, vel per se solum exhibebatur præ cæteris in hoc secundo morbi genere eximium sal ammoniacum. Inter laxantia autem, decoctum Tamarindorum atque Rheum suum occupabant locum. Sed quod in priori genere lædebat, ad id mature sæpius erat decurrendum, ad Chinam puta, quæ cum Rheo mixta egregios hic edidit effectus. Propinanda autem hæc erant ita, ut vis evacuatoria superaret vim adstringentem; et his usquedum erat utendum, donec in linguæ radice nulla amplius conspicua esset immundities. Tunc autem rheum commode potuit omitti, et in ejus locum majores doses corticis Chinæ erant substituendæ.

Quod si non ex præcedentibus, certe ex hac methodo medendi, ex naturæ sinu depromta et experientia confirmata, differentia generica morbi nostri biliosi patebit clare et perspicue. Neque diversas has curandi vias animo volutans atque contemplans, facile mihi objiciet, quod *Sydenhamo* a Cel. *Freindio* objectum miror, quasi perinde esset, morborum diversitates bene intelligere, vel minus: *Ita fere supervacua est omnis, quæ nimis curiose fit, distinctio et præsertim medicinæ studiosos adeo parum juvat, ut potius in errorem agat; falso nimirum opinantes, cum certam quandam morbo cuilibet proprietatis*

notam

notam afflictam viderint, propriam itidem esse et omnino suam cuique medendi normam (1).

Tertium genus morbi, cum esset leve et mixtæ naturæ, vix singularem vel methodi medendi, vel victus rationis desiderat expositionem. Blandiora hic eligenda erant medicamenta salina, quæ vel in primo vel in secundo genere non sufficiebant, e. g. Cremor tartari; Sal Seignette; Pulpa Tamarindorum, cætera. Rarus fuit emeticorum usus.

Hactenus dicta sunt, quæ vel detrahendo, vel roborando maxime juvant. Dicendum nunc, quid de iis, quæ nos alunt, experientia constiterit.

Nocent cibi generis valentissimi, ut ferme omnis caro atque jura carnium plurimarum, pinguium præcipue; ova, lac, placentæ; dein quævis oleosa, atque ea, quæ crudas viscidasque in corpore relinquunt materias, e. g. panis niger Guestphalorum; solana tuberosa; necnon dulcia, quæ, docente id cel. *Milgsack* (1), bilem, quamvis sacchari amari species sit, tamen augent. Eligenda autem ex medica materia, quæ facilia sunt concoctu, acidulæque indolis; quæ alvum cohibere, vel illam, si morbus generis secundi est, mollem

---

(1) Vid. *Job. Freind* Commentar. de Febribus Lond. 1717.

(1) Vid. dissert. de salibus essent, C. H. Duisburgi.

reddere possunt. Optima autem sunt jura, in quibus decoctæ sunt herbæ emollientes, atque putredini resistentes, e. g. acetosa, acetosella; portulaca; vel radices celeri, petroselinum, etc. Prosunt etiam juscula, aceto vini saniora reddita. Præter dicta olera, juvant etiam alia, ut spinachia; beccabunga; endivia; lactuca, et ejus generis plura; dein poma; pruna; cerasa, etc. à *Tiſſoto* laudata. Nihil vero sane jusculo crassioris consistentiæ salubrius est, quod nosratibus audit *Cammelrcht*, quodque his verno tempore, ex herbis recenter collectis, frequenter in usum cedit. Ad quem finem colligunt turiones brassicæ selenoïdes (*Braunrchl*) thyrsulos ægopodii; hederam terrestrem: lapathum acutum; chærefolium; urticam, etc.

Potum optimum præstabat aqua frigida simplex atque acidula reddita, vel super cremorem tartari fusa, cujus cyathus singulis semihoris erat sumendus. Potus calidi autem, propter augmentum anxietatum, æque in his morbis proscribendi, ac in cholericis à *Cœlio Aureliano* (1) rejectos legimus: minus tamen nocebat potus caffée quam thée. Vinum non nisi aqua dilutum concedendum; durante febre autem circumcidendum.

---

(1) Vid. *Cœl. Aurel.* de morb. acut. lib. III. cap XXI.

Sed his, ab aliis satis expositis, haud diutius nunc immoror, cum nonnullorum communium auxiliorum adhucdum exponenda restet ratio.

Circa usum emeticorum nonnullos admodum timidos video e. g. *Junkerum*, quamvis methodo *Tissotiana* pota, omnis ætatis atque sexus hominibus, rite ante formata indicatione, tuto possint propinari. Dedi talia, quando res ita facere juberet, et emetica omittere periculosum esset, infantibus teneris; gravidis; parturientibus; hæmoptoïcis; herniosis, vel talibus, qui vomitum cruentum antea senserant, optimo cum effectu, atque citra omnem noxam. Ingentem vomitum cruentum aliquot menses ante partionis tempus subierat propria mea amata; hoc autem tam parum me deterruit, ab emetico, parturienti illi, propter accedentem febrem biliosam, propinando, ut in altero emetico magis certum præsidium invenerim.

Intermissum emeticum semel in homine hernioso, simulque febre biliosa laborante, vidi lethale.

Tempus vomitoria in febribus biliosis propinandi admodum incertum. In multis ab emetico erat inchoandum: vidi tamen etiam alios, et quidem non paucos, in quibus periculosum fuisset, materiam adhucdum crudam statim in principio morbi supra movere. Medicinam

quondam feci feminæ, cui ante diem decimum quartum, propter cruditatem materiæ, emeticum propinare non ausus sum. Quod restat, legi atque relegi debent, quæ hac de re cum orbe litterato communicavit cel. *Tissotus* (1).

Tartarum emeticum non nisi multa aqua dilutum dedi, haustibus repetitis, donec vomitus adesset, sumendum.

Videntur autem emetica nostræ regionis incolis, propter cibos viscidos ex solano atque fagopyro præparatos, quorum descriptionem dedit illust. *Metzgerus* (2), et quibus nunquam non utuntur, magis apta esse, quam populis, qui teneriori victu vivunt. *Baglivius* hæc videns, recte hinc *germanis populis, propter annum ferme semper hyemantem, et quia nimis gulæ indulgent, emetica cæteris nationibus utiliora censet* (3).

Accidit tamen etiam interdum, ut propter summam debilitatem, vel ob aliam causam e. g. propter inflammationem, vomitoria propinare vix esset tutum. Dedi tunc aliquoties de die scrupulum unum pulveris ex cremoris tartari uncia 1, et tartari emetici gr. 1 parati, quo vomitus antea jam ferme semper præsens,

---

(1) Loc. cit. p. 27 et seq.

(2) Loc. cit. p. 20. 21.

(3) *Bagliv.* Prax. med. p. 156.

sine virium jactura, egregie fuit auctus, quod infra exemplis comprobabitur.

De venæ-sectione à *Pringlio* laudata, à *Tissoto* vero rejecta, meam nunc qualem qualem exponam sententiam, ex visis tantum enarrans.

Centies, quin sæpius, illam celebratam vidi precario à chirurgis sanguinis humani sitientibus. Candide loquor : si uni prodesset, certo decem damno fuit. Communis effectus erat atque levissimus, morbum inde trahi videre : idque non magis in ipsa febre biliosa, quam in pleuritide etiam anomalâ, quod magnorum virorum et præsertim *Baglivii* (1) experimentis confirmatur. Nam in vehementissima pleuritide biliosa decem uncias sanguinis detraxisse sufficiebat, pulsu jam jam reddito molli atque parvo debilique. Plus sanguinis misisse, non morbum sed vires imminuit, quod nuper adhuc in homine affinitate quadam mihi juncto vidi. Nam cum illi altera venæ-sectio, me absente atque inscio, sine ratione esset celebrata : dolor quidem evanidus est redditus, sed anxietates atque spirandi difficultates inde adeo increverunt, ut, sudore frigido superfusus æger, caput non nisi sublime habere posset, digestivis atque laxantibus postea periculo ereptus.

---

(1) Loc. cit. p. 46 et seq.

Sed longe adhuc pejus cum illis agebatur, in quibus citra inflammationem larga venæ-sectio fuit instituta. Vidi ex quinque in una domo decumbentibus, quatuor, omnem rationem abjicientes, nec regulis medicis moram gerentes, propter venæ-sectionem et abusum spirituosorum, mensis spatio, febre biliosa crudeliter consumptos; quinto tantum, mature morbo occurrente et venæ-sectionem odio habente, servato.

Limitandæ hinc sane *venæ-sectionis in morbis ab epidemica aëris constitutione dependentibus* magni *Sydenhami* (1) laudes sunt. Magis *Forestus* laudandus, qui *Avicennam* sequens, nullam in ardente ex pura bile, *nisi urina fuerit rubra et crassa* (2), venæ-sectionem admittit, quod, variis exemplis ab eo in medium prolatis, pluribus confirmatur. Neque urinam rubram hanc operationem semper indicare, docet *Baglivius* quærens : *an ideo sanguis mittendus in illis ob urinam rubram ? Minime*, inquit, *nam sales dominio potiuntur post phlebotomiam, et enecant* (3).

Sed, non obstante tam sinistro eventu, phlebothomiam tamen semper exoptant ægrotantes, atque laudant chirurgi isti, qui apho-

(1) Epistola responsor. p. 195.
(2) *Forest.* lib. II. p. 203.
(3) *Bagl.* loc. cit. p. 47.

rismum comicum : *saignez toujours — c'est une selle à tous chevaux dans notre profession* , ad verba interpretati sunt. In hujus rei rationem inquirens , nullam aliam invenire potui , quam quod anxietatum imminutionem inde sibi persuadeant futuram. Sed hoc tantum abest , ut hæ inde magis atque magis augeantur , per clysteres maxime leniendæ. Egregios enim ab hoc remedii genere in morbis quibuscunque mes entericis sperare possumus effectus. In primo autem morbi genere subter in alvum sunt injicienda , quæ vi resolvente eximia sunt prædita , ut sal ammoniacum , vel acetum vini aqua calida dilutum.

Magni etiam momenti sunt frictiones , quæ super ventrem molli instituuntur manu , quibus spissa materia resolvitur , ejusque evacuatio promovetur. Ante annum et dimidium artem medicam ex me petiit femina febre decumbens , et hac spissa materia onusta , quæ ne minimam quidem particulam hujus materiæ per alvum exonerare potuit , nisi ea frictionibus repetitis , quotidie instituendis , antea esset subacta , irritis reliquis secundum rationem propinatis.

Vesicatoria in secundo genere frequenter , in primo autem non nisi in casibus cum inflammatione conjunctis , applicasse memini. In rheumatismo inflammatorio bilioso , quem vix unquam in nostra epidemia vidi , utiliter ea adhibuit cel. *Stoll.*

Sinapismi è contrario, plantæ pedum applicati, in revellendo à capite sanguine, egregium multoties ediderunt effectum, cui scopo et acetum vini solum sufficiebat.

Restat, ut de acidorum usu eorumque selectu sermonem faciam. Juvant in genere priori acida vegetabilia, atque præcipue id vini vitium, quod referente *Plinio*, transit in remedium. Genus secundum autem atque status putredinis desiderant acida fortiora, mineralia, ex aqua fontana haurienda.

Sed ultimo tandem, sæpe numero in ægrotos tumultuantes animoque commotos incidens, cum illust. *Gaubio* identidem dolui, *negatam esse humanitati facultatem contingentia, prout necessitas exigit, mutandi, neque semper ex pharmacopoliis depromi posse, quæ corpori, ob mentem inquietam laboranti, certum levamen afferant* (1).

Communia hæc sunt et febribus regularibus, et morbis biliosis anomalis; hinc hactenus dicta infra non repetam.

Stadium tertium variam desiderat methodum medendi, diversis morbis ex reliquiis enatis accommodandam. Reliquiæ in genere postulant digestiva, resolventia salina; interdum

---

(1) Vid. *Gaubii* sermo II de regimine mentis, quod medicorum est. p. 79.

calomel; tandem laxantia. Carnem à reliquiis offensi cibo debent subtrahere, atque eligere talia, quæ supra sunt laudata.

Recidivarum autem cura ea est, quæ præcedenti morbo, cujus recidiva est, apta invenitur. Cæteri morbi autem primam habent indicationem, qua reliquiæ expugnantur; dein pro cujuslibet morbi natura methodus curativa, ex therapeïa desumenda, seorsim est instituenda. Missos hos morbos facio, tantum contentus, quædam circa curationem reliquiarum inveteratarum, per exempla ostendisse, et quod ad reliqua attinet, lectorem ad *Tissotum* ablegasse.

Primo exponam, quibus auxiliis ista persona, cujus historiam morbi, pag. præc., suppeditavi, tandem sit sanata, jam per annum, et quod excurrit, male ex reliquiis antea vexata. Variam methodum medendi in hac ægra jam antea iniveram, sed absque effectu bono. In hujus rei causam accuratius inquirens, atque videns, intestinis non solum, sed et vasis sanguiferis, quin et glandulis mesentericis viscosissimam materiam impactam hærere, reliquam curam impedientem, de ejus resolutione atque evacuatione serio cogitare incepi. Huic scopo autem nil magis convenire æstimabam, quam calomel laxante junctum. Pulveres hinc ex calomellis granis III. et diacridii sulphurati granis VIII. Conflatos parari jussi, mane

sumendos. Post primum pulverem sumptum, ingens secutus est vomitus materiæ biliosæ, cum muco tenacissimo mixtæ. Sequenti mane vomitus materiæ pituitariæ multo adhuc vehementior atque profusior. Inde ægrotam levatam videns, vellet ita pergere suasi. Sed tertia dosis vomitum haud amplius irritavit, subduxit autem per inferiora materiam biliosam pessimi odoris, omniumque colorum. Ita dein per aliquot dies adhuc pergens, multo meliori loco esse profitebatur ægra. Sed cum venter nondum decresceret, neque urina parce fluere cessaret, datus est spiritus mindereri, qui vias urinarias egregie aperuit. Propter tussim autem urgentem parabantur catapotia ex extr. taraxaci; gummi ammoniaco; succo inspissato liquiritiæ et sulphuræ tandem antimonii aurato tertiæ præc. Curationi finem imposuit vinum medicatum eccoproticum atque roborans; et, ne morbus recurreret, fonticulus fuit positus.

Ita feliciter restitutæ per annum optima valetudine frui dabatur feminæ. Sed cum semper sellæ insideret, et corpus, quod suaseram, peregrinatione jactari recusaret: vires postea resumere, morbus est visus. Venter enim non solum à lotio intercepto, sed etiam à quadam tympanitidem efficiente causa tumere incepit. Diro tamen hoc malo non obstante, multas septimanas sine medicamentis vixit, quæ nunc odio prosequebatur. Tandem precibus mariti victa,

veniam dedit medicamentis in pilularem formam redactis. Paratæ hinc sunt pilulæ ex partibus sequentibus constantes. Sumpta sunt pulveris alterantis plummeri gr. XII; ext. taraxaci drachmæ III ; gummi ammon. drachmæ II ; rad. scillæ drag. sem. Inde pilulæ ; singulæ pond. gran. III , formatæ, quater de die, numero 5, optimo cum effectu sunt propinatæ. Nam, his per aliquot tempus adhibitis, urina sine impedimento fluere incepit, largum sedimentum deponens; et in præsentiarum hæc ægra tam integra est, quam maxime quis in hoc genere valetudinis esse potest. Restat adhuc dicere, me in hoc casu aliquoties vidisse, cremorem tartari simplicem, optimi diuretici munere interdum fungi.

Sed nunc aliam historiam morbi in medium profero.

Matrona 53 annorum jam à multis retro annis affectibus hypocondriacis atque hystericis male vexata, 1778 incidebat in febrem biliosam tertii generis. Propter levitatem morbi, et quia cito disparuit febris, medicinam sumere vix operæ pretium ducebat, vel saltem à reliquiis purgari recusabat. Quam ob causam relinquebatur in corpore apta, novum morbum creandi causa, quam, si mens non læva fuisset, ex variis symptomatibus facile detegere potuisset ægra. Nam

Accusabat choleram dextræ dolor, aspera lingua.

Tinnitus, vomitusque frequens, vigilantia multa:
Multa sitis, pinguisque egestio, tormina
ventris, etc. (1).

Paucis, signa bilis non loquebantur, sed clamabant. Singula autem hæc habebantur pro symptomatis affectus hypochondriaci vel hysterici. Vitam hanc miseram duxit ad initium usque 1779. Nunc dicta symptomata tenore non solum increverunt, sed his etiam adjecta sunt alia multo pejora. Quotidie urgebat vomitus materiæ viridis, nigræ, dentes atque gingivas arrodentis, sitimque excitantis. Ex ore post prandium defluebat limpida aqua rivi instar; appetitus erat nullus, et si quid cibi sumptum erat, statim mordebat ventriculus. Dolores artuum erant ingentes, circa noctem increscentes, somnumqne pellentes. Tunc maxime etiam dolebat caput; atque febricula urgebat. His tandem accedebant raucitas; tussis; respirandi difficultas; urina parce fluens; pedum œdema.

Inter has calamitates ægram, viribus fractam, medici consilium efflagitasse, nemo sane mirabitur.

Propter summam debilitatem emeticum præscribere timui, neque videbatur omnem materiam adhucdum crudam è corpore sic posse

---

(1) Vid. Schol. Salernitana. Venetiis 1619. p. 221.

eliminari. Interim tamen quotidianæ vomituritiones id auxilii genus postulabant. Dedi hinc pulverem supra laudatum ex cremoris tartari unc. I et tartari emetici gran. I constantem, ad duo vel tria parva cochlearia, tam resolvendi, quam evacuandi causa, quotidie sumendum, presso pede methodum *Hippocratis* (1) in morbis cholericis adhibitam insistens; neque timens, quæ in contrariam sententiam transiens *Cælius Aurelianus* postea dixerit: *quod non aliter est contrarium*, inquit *Cæl. Aur. quam si quis fluore sanguinis pereuntem, vel diaphoresi dissolutum phlebomotare velit* (2).

Vix per aliquot dies ægra nostra hoc medicamine, quod quotidianos vomitus auxerat, erat usa, cum ingentem in modum illam inde viderim levatam. Sed cum adhuc materiam biliosam reconditam subolerem, continuandi pulveris suasor exstiti. Quamvis difficulter eo adigeretur ægra: gessit tamen morem ad diem decimum quartum hoc modo pergens, qui nullo vomitu amplius turbabatur. Egessit autem omni hoc tempore supra atque infra ingentem quantitatem materiæ biliosæ, mucosæ, quin nigræ, de quo *Tulpius* monet, quod vomitus materiæ nigræ *interdum ex usu sit* (3), unde ægram meam levatam vidi quam maxime.

---

(1) Vid. *Hippocr.* de morbis.
(2) Vid. *Cæl. Aurel.* m. a. lib. III, cap. XX.
(3) Lib. II, cap. XXI.

Nam cum absque impetu per ventrem deturbaretur materia : hoc genus auxilii illo periculo vacabat, quod a vehementi ventris liquatione in hydrope et in aliis morbis timet *Aretæus Cappadox* (1) inquiens : *post subitas et copiosas inanitiones extremosque casus prostratis interdum viribus , quemadmodum in sanguinis profluvio accidere solet , ægri intereunt.*

Sed redeo ad ægram meam multum sic emendatam. Tussis vix amplius irritabat ; neque voci deerat sonus ; respiratio reddebatur bona ; et appetitus redibat , siti haud amplius urgente. Nunc pilulæ ex Extr. Taraxaci et aliis resolventibus amaris in usum sunt vocatæ , cum interposito quotidiano usu decocti corticis Chinæ. Pedes œdematosi ligabantur fasciis , et ut primum tempestas id permittebat , hausit aquas Pyrmontanas. Sub finem mensis Junii e. a. ferme restitutæ applicatus est fonticulus in uno pede.

Per omne hoc tempus tenuissimo victu fuit contenta , et non alii cibi , quam ex oleribus acidulæ indolis parati , mense sunt impositi , cum interim quotidie corpus levi inambulatione dimoveretur.

Quod restat , similitudo , quæ inter hunc morbum et inter alium ab *Hippocrate* descrip-

---

(1) Aretæus Cappad. Libr. 1. de diuturnis affectibus Cap. XXIII.

tum intercedit, tanta est, ut locum silentio prætermittere non possim. Ita autem habet Pater medicorum:

Homo subfulvus et gracilis et oculis cum virore pallidis, et tenuem cutem habet, ac debilis. Quanto autem tempus amplius progreditur tanto amplius morbus afficit. Et vomit omni tempore velut stilamentum modicum, ad duorum poculorum parvorum mensuram; frequenter etiam cibum et una cum cibo bilem et pituitam, et post vomitum dolet totum corpus, aliquando etiam antequam vomat. Et horrores tenues et febris tenet, et ad dulcia atque oleosa maxime vomit.

Circa medelam autem monet sequentia: *Medicamentis sursum atque deorsum purgare, et lac asininum postea bibendum dare. Cibis uti mollissimis, ac frigidis, piscibus littoralibus, et cartilaginei generis, et betis et cucurbitis, et carnibus tritis. Vinum bibere album vinosum aquosius. Labore et deambulatione uti, calide non lavare et à sole abstinere* (1).

Eximias, in expellendis reliquiis, fonticulorum ulcerum diu trahendorum virtutes, quarum antea mentionem injeci, singulari adhuc comprobabo exemplo. Feminæ arthriticæ 33 annorum propter reliquias ex febre biliosa fonticulus fuit positus. Quæ, cum a malo arthri-

(1) Vid. *Hippocr.* de morbis.

tico inveterato neque aquis Pyrmontanis, neque Aquisgranensibus, neque Meinbergensibus, quas bis adiit, potuit liberari: in hoc remedio non solum contra dirum hunc morbum, egregium invenit solamen, sed et a reliquiis materiæ biliosæ ita maxima ex parte est liberata.

Hæc de curatione trium stadiorum dicta nunc sufficere arbitror; nec opus erit enarrare, quomodo symptomatibus, vel morbis complicatis, vel reliquiis denique ex debilitate enatis medicina sit facienda; cum id non solum nimis longum foret, atque ab instituti ratione alienum, sed et superfluum. Nam ex notione morbi principalis vel complicati, ad curationem vel symptomatum vel complicationum facilis via patet. Sic in casibus variolarum, vermiumve complicatorum, vel parturientium nonnullarum res erit comparata. Omnimodus horum morborum complicatorum status est attendendus, et si in casibus subnatis, quod sæpe accidere monui, status sanguinis putridus simul adest: ad methodum antisepticam tunc erit transeundum, atque in China, Camphora, acidis mineralibus atque Vesicatoriis unica atque certa spes collocanda.

Quod autem ad symptomata attinet, *illa*, inquit Cel. *Tissot*, (1) *quæ primo intuitu genio*

---

(1) *Tissot.* l. c. p. 91.

morbi

morbi aliena videntur, *eamdem cum omnibus aliis originem habent*, *et remedii principis continuatione feliciter fugantur.*

Quod restat, lubenter subscribo sequentia verba *Baglivii* : *Præ cæteris animadverto*, *in nullo morborum genere*, *tanta opus esse patientia*, *expectatione*, *cunctatione ad bene feliciterque curandum*, *quanta ad bene curandas febres mesentericas* (1). Nam, cum corpora ignavi quadam materia, quæ vix mobilis reddi potest, sæpe sint repleta : difficulter istud pondus pravæ materiæ a corporibus aufert haud semper satis incitata natura; uti hoc ex morbis anomalis patebit clare, quod cum reditu sanitatis e corporibus antea eliminare ægritudines debere, docet *Statica Sanctorii* (2).

---

(1) Lib. I. pag. 55.
(2) Sect. I. N°. 81.

PARS II.

De Morbis biliosis anomalis in genere.

DICTA sunt hactenus præcipua, ad febrem biliosam nostræ Epidemiæ, ejusque medelam spectantia, Capita selecta. Dicenda nunc est ea, unde totum opus nomen suum accepit *Anomalia* febris biliosæ, cum descripto morbo nexu individuo atque tam arcte cohærens, ut omne pondus, si ullum illi est, inde mutuetur, et a morbo dominante non nisi novis determinationibus sæpe discrepet. Sed cum homines simus, non omnes relationes statim intelligentes; neque in rerum natura vix alia exstet morbi anomalia, nisi habita ratione ad intellectum humanum: quilibet statim persentiscet, et in cognitione illorum morborum, quos nunc pertracto, animorum identidem perstringi aciem. Medicus enim, cui leges naturæ, cûr materia biliosa hanc potius partem occuparet quam aliam, eamque magis læderet, cognitæ perspectæque essent, nullibi videret anomalias morborum, nunc temporis, pro mentis humanæ imbecillitate, ex apparitionibus externis judicantis, mirum in modum auctas.

Quæ cum ita sint comparata, et cum etiam

ad medicum pertineat, monente supra laudato *Verulamio*, modos atque circumstantias rei nosse, quæ adhuc ignota, quamvis in genere nova non sint: hanc meam qualemcumque de morbis biliosis anomalis tractatiunculam promulgare atque publici juris facere, non plane superfluum, vel a medici dignitate alienum esse censui; maxime incitatus monitis magni *Hippocratis*, dicentis: *debet autem medicus differentiam morborum, assidue in vulgus grassantium, cito animadvertere, nec temporis statum ignorare* (1).

Ejusmodi autem, quas descripsi, aberrationes morborum, frequenter in epidemicis constitutionibus occurrere, *Sydemhamo*, qui sollicitudine summa morborum genium indagavit, nemo pulchrius demonstravit, dicente: *Notandum est, quibus annis variæ illarum species grassantur morborum, eas omnes, modo, quo primum adgrediuntur, atque symptomatis, consentire* (2).

Apertius autem hac de re, ut Cel. *Grimm* (3) taceam, loquitur Ill. *Sträck*: *Quæ inter petechiarum morbum, cum is popularis erat, cucurrerunt affectiones: harum duo potissimum extabant genera: alterum, quod sine petechiis quidem erat, at omnes petechiarum morbi ipsius notas ex toto habuit; alterum, quod aliqua tantum ejus*

---

(1) Prognost. Text. 4. Charter. Tom. VIII. p. 585.
(2) Sect. I. cap. II. p. 51.
(3) *Grimm* Epidemie ju Eisenach.

indicia retinuit ; plurima vero diversa, ut pleuritidis signa habuit ; per quæ et facile fefellit, et magis occidit (1).

Sed, antequam morborum anomalorum descriptionem adgredior, quædam adhuc circa notionem morbi anomali monenda restant.

Tria autem potissimum, uti supra jam patuit, ad notionem morbi anomali, requiruntur momenta potiora.

Primo, sit morbus sub facie alius longe diversi, non febris biliosæ procedens ; vel naturam alienam induisse visa, nomineque singulari consignata ægritudo. Sic e. g. quod ad faciem externam attinet, febris scarlatina biliosa longe distat a febre biliosa ordinaria, cujus naturam magis exuisse videtur.

Non alios casus ad *Arthritidem anomalam* retulit Cel. *Musgravius*, quam qui nomine atque forma haud parum ab arthritide regulari deflectunt.

Postulo dein : sit morbus a materia biliosa febrili, i. e. a tali materia excitatus quæ in aliis subjectis, pro diversitate naturæ, ipsam febrem biliosam irritavit.

Sic ingens morborum periodicorum, febris intermittentis typum non exacte observantium cohors, in cujus descriptione maximam indus-

---

(4) Vid. *Carol. Strack* de morbo cum petechiis *Carolsruh.* 1766. p. 166.

triam præstitit Cel. *Medicus* (1), non aliam causam, quam fermentum febris intermittentis postulat. Exulent ergo a præbenti descriptione morbi alii ab alia causa exorsi, vel alio tempore observati. Describo tantum morbos anomalos sub constitutione nostra epidemica enatôs, atque illi vicinos, parum in præsentiarum curiosus morborum alius originis, quod bene notandum rogo (2).

Tandem requiritur: morbum subdole i. e. insidiose infestare; incauto imponere, et, si non medicamentis antibiliosis pugnetur, ferme nunquam elidi.

Hoc sæpe sæpius vidi, multosque novi, qui diu post morbum superatum, adhuc perversæ

---

(1) Geechichte periodischer Krankheiten. Karlesrhe 1764.

(2) Necessarium fuit hoc monere, ne me hepate obstructo laborantem accusent, qui apud Ill. *Zimmermannum* in ven Erfahrungen aus ver Hriueigelahrtheit I. Mheil, exemplum practici illius viderunt, qui, propter id vitium innatum, in omnibus suis ægris simile quid videre putabat.

Tantum enim abfuit, omnes atque singulos morbos mihi obvios factos huc retulisse, ut multos potius sicco plane pede præterierim, qui tamen maxima ex parte horsum pertinere videbatur.

Dein adfuere etiam alia mobi genera, in quibus vix vestigium prædominantis morbi imperii ulla arte potuit detegi.

Sic ætatem infantilem exercebat nuper tussis convulsiva gravis atque epidemice regnans, cui nulla sane intercedebat cum biliosa familiaritas. Absonum hinc esset, omnia ex uno fonte velle explicare.

medelæ luunt pœnam, medentibus, andabatarum more, cum ignoto morbo luctantibus. Commune ergo his morbis erat, faciem biliosam tectam servare, atque sub nomine alius morbi, bene noti, diu latere.

Inde nunc patet ratio, cur morbi, qui non insidiose neque occulte irruunt, quamvis larvam alius morbi induant, minus recte ad classem morborum biliosorum anomalorum possint referri. Nam hi vel morbi nomine audito statim cognoscuntur, vel ex antecedentibus eorum natura patet. Prioris exempla sint Cholera; colica biliosa; vomitus biliosus; nausea, et ejus generis plura. Posterioris autem exempla ex capite de Reliquiis morbi sunt repetenda. Morbos anomalos enarraturus, caveat ergo sedulo, ne reliquias febris biliosæ, pro morbo anomalo sive occulto ventilet; caveatque, ne morborum historiæ in immensum augeantur Sed non repetam semel dicta.

Quod restat, parum refert, an cum morbo anomalo febris simul sit conjuncta vel minus, ea in essentialibus hujus notionis parum mutante. *Est enim æquum, ita aiscernere, ut non accidentium diversitas passionis differentias ostendat, sed generalis quædam ac necessaria designatio, quæ fit ex principalibus passionibus, unde etiam curationum ratio sumitur* (1). Parili ratione

---

(1) Vid. *Cœl. Aurel.* Libr. I. de morb. acut. Cap. VII.

ad morbos periodicos retulit et febriles et non febriles supra laudatus *Medicus*.

Semiologiam horum morborum multis premi difficultatibus, nemo mirabitur, ad tertium paulo ante dictum requisitum attendens. Accidit mihi hinc sæpenumero, ut, destitutus signis directis morbum indicantibus, non nisi per conjecturam; per usum remediorum vel bonum vel pravum, et per reductionis denique viam, de morbi natura potuerim convinci. Plerumque tamen aderant vel antecesserant signa in stadio primo enarrata; lingua nempe impura, biliosa; nausea; appetitus dejectio; dolor scrobiculi cordis, ejusque pulsatio; alvi obstipatio; urina pallida; pulsus debilis atque mollis, si a casibus inflammatoriis discesserim; dolores artuum; noctes inquietæ; quibus tandem accedebat constitutio epidemica. Permulti enim sunt inventi, morbo bilioso anomalo decumbentes, qui in eadem domo socios febre ordinaria epidemica laborantes haberent. *Omnia ergo sunt providenda; non enim ex uno vel duobus, sed ex multis concurrentibus significationem firmandam esse*, optime monuit *Cælius Aurelianus* (1).

Quod si vero nunc quæratur, quænam subsit ratio, quod in tam multis a simili causa, tam dissimilis effectus sit enatus? repondeo verba *Celsi*: *possunt quædam subesse corpori, vel ex*

---

(1) *Cæl. Aur.* Libr. I. de morb. ac. Cap. II.

infirmitate ejus, vel ex alio affectu, quæ vel in alio non sunt, eaque per se non tanta, ut concitent morbum: tamen magis obnoxium aliis injuriis reddunt.

Ita hac de re sentieudum esse, quotidiana me edocuit experientia, optima rerum magistra. Ulterius autem in re dubia progredi, vel istam idiosyncrasiam detegere velle, si non impossibile, tamen a scopo meo alienum duco, non philosophantis, sed observatoris munere fungens.

Et profecto verosimile est, et *Hippocratem*, et *Sydenhamum*, et *Baglivium*, aliosque non eam ob causam eximios medicos fuisse, quia idiosyncrasiæ naturam detegere sategerunt, sed eos potius vel ideo majores extitisse artis præceptores, quia mature intellexerunt, *ex hoc fonte*, uti refert Cel. *Keil*, (1) *revera oriri, quidquid est in medicina incerti, et obscuri*, quod non nisi accuratissimis, fidelissimis, ac sagacissimis observationibus, ac morborum historiis tolli potest.

Dictis adhuc adjicio: morbos bilosos anomalos considerandos esse tanquam species febris biliosæ. Cum autem trifarium hujus febris genus supra sit demonstratum, prono inde fluit alveo, relationem specierum ad genera, diversam esse debere. Aliæ hinc sunt

(1) Vid. *Tentam.* med. Phys. Lond. 1718. p. 116.

species generis primi; aliæ secundi; aliæ denique tertii. Methodus curativa, quamvis in universum antibiliosa, propterea sæpe mutanda, atque cuivis generi aptanda fuit. Sed propter novas determinationes speciales, alia atque alia methodus subinde ineunda.

Monendum adhuc restat: observationes sæpe docuisse, morbos anomalos identidem complicari, vel cum aliis morbis e. g. vermibus, vel et inter se. Sic consociari amant febris arthritica biliosa, atque scarlatina biliosa; vel nervosa biliosa cum multis aliis malis. Inde pejora mala oriri, quis non videt?

Ordo rei jubet, ut morbos biliosos anomalos, in sequentibus describendos, paucis in limine nunc enumerem. Sequenti autem sese excipient modo.

Primo exequar morbos hujus census febriles. Qui sunt:

1. Febris biliosa nervosa.
2. Febris biliosa bullosa.
3. Febris biliosa scarlatina.
4. Febris arthritica biliosa.
5. Angina biliosa.

Dein agam de non febrilibus, ut

6. de Tussi biliosa.
7. - Orthopnœa biliosa.
8. - Raucitate biliosa.
9. - Singultu bilioso.

10. - Salivatione biliosa.
11. - Stupore paralytico unius pedis.
12. de Anxietatibus prœcordiorum ex causa biliosa.
13 - Obstructione urinæ ex eadem causa.
14. - Hæmorrhagiis biliosis.
    α. hæmoptisi.
    β. mictu cruento.
    γ. hæmorrhoidibus.
15. - Morbis mentis, et quidem de morositate ex causa biliosa.

De febribus biliosis anomalis generatim.

Numerus febrium biliosarum anomalarum ingens sane est, et longe superat catalogum nunc paulo ante a me in medium prolatum. Cum enim constitutio nostra epidemica in affligendis corporibus non solum sæva, sed et in variandis speciebus, ne una forma læderet, admodum prolifera, varios casus videndi mihi daret occasionem; factum est inde, ut præter modo recensitas species, sæpius etiam observaverim alias e. g. Febres hujus prosapiæ intermittentes, catarrhales atque inflammatorias. Sed de instituto hos morbos describere, cum brevitatis sim studiosus, eam ob causam omisi, quia celeberrimorum et de medicina bene meritorum libri prostant medicorum, in quibus dicti

morbi, quamvis non sub nomine morborum anomalorum, ad naturam tamen depicti occurrunt. Consulendi ergo isti auctores e. g. Perill. *van Swieten* in *Commentariis Bœrhaavianis* : *Senac* in libro *von ven Dechselfiebern* : *Huxhamus in operibus Physico medicis* : nec non *Grimm in vet Epydemic in Eisenach* : reliquos taceo.

Sed ne ita facturus rem majoris momenti, non ex sufficiente ratione, prætermisisse videar, etiam has paucis verbis infra comprehendam. Quod si mihi autem nunc largiatur, hos morbos, quos omni tempore ex hoc fonte enatos viderunt practici attentiores, saburra biliosa esse productos, cur de reliquis dubitabimus?

Equidem viderunt ex fonte bilioso longe adhuc alios, dirissimisque symptomatibus stipatos morbos, auctores alii. Sic inde febrem summe putridam enatam vidit *Cleghorn* in Epidemia *minorcana* ; Petechias Cel. *Strack* : Purpuram *Frid. Hoffmannus* ; Morbillos viderunt alii (1).

Sed ego, fidem celeberrimis viris non abnegans, tantam malignitatem, si verbo licet uti, quod Cel. *Marcardus* (2) reddidit dubium, in hac nostra epidemia, si a statu partus, variolarum atque vermium complicatorum discesserim, vel nunquam vidi, vel saltem non semper

(1) Vid. Cel. Selle in Diss. supr. alleg.
(2) Vid. Dissert. Examin. rigor. mal. febr.

hujus originis fuisse puto, magis *Vogelio* (1) accedens, qui ejusmodi morbos ad synochum putridam refert. Nemo hinc mirabitur, methodum antisepticam, per eminentiam talem, in morbis ab hac constitutione epidemica dependentibus raro, exceptis illis paulo ante commemoratis complicationibus, et ferme nunquam aliter, a me fuisse adhibitam. Parili etiam ratione morbis, quoad externa, toto, uti dicunt, cœlo, a febre biliosa regulari distantibus, factam esse feliciter medicinam, ex sequentibus patebit clare et perspicue. Nec crimine mihi posse verti arbitror, quod pro singulari morbi natura diversam quandam methodum medendi, paulo à methodo generali deflectens sæpius iniverim, ad Poëtam provocans.

Et quoniam variant morbi, variabimus artes;
Mille mali species, mille salutis erant.

Monendum adhuc restat: febres biliosas anomalas mox in intensiori, mox in remissiori gradu homines affligere; raro autem, si a febribus biliosis nervosis discesserim, tam diu trahi, quam ipsam febrem biliosam. Habent porro hi morbi suos prodromos, in stadio primo enarratos, neque deest stadium tertium. Nam morbi semel fugati levissima ex causa recurrunt.

De subjectis infra seorsim dicetur.

---

(1) Vogel. Præl. l. c.

De febre biliosa nervosa.

Sequens hominum genus, docente id experientia, huic febri maxime patebat: homines juniores; feminæ hystericæ atque debiliores; qui frequentibus ingurgitationibus atque potui inebrianti erant dediti; qui potentiam animatam in visceribus alebant, qui laxantibus atque venæsectione erant abusi; vel qui labores intensos subierant; denique tales, qui difficulter et non ex toto ex alio morbo emerserant. Magis hæc febris sub fervido sole, quam sub aliis tempestatibus accensa est visa e. g. æstate 1778 et 1779. Antequam autem illa prehenderentur homines, plerumque querebantur de ingenti capitis dolore, nunc frontem, nunc, quod frequentius, occiput occupante, et per totum morbi decursum sæviente, cui statim jungebatur molestia quædam circa ventriculum, quem ex prandio vel cœna offensum esse putabant. Nauseosi hinc sunt inventi, et in nonnullis erant vomitus inanes. Animo erant abjecti; morosi, timidi, lacrymantes et facile desperantes, quod non itidem in febribus biliosis regularibus animadverti. Membra his ad quemvis motum tremebant, atque genua vacillabant. Frigus calore intermixtum in principio vix perceptibile, ingravescente morbo quidem increscens, semper tamen ita ut calor alius ex alio fieret, nunquam in ingentem æstum abiit. Faciei color

in febre biliosa prehensis roseus; his magis pallidus, luridus atque fulvus fuit. Febre non obstante, raro primis morbi diebus lecto erant adstricti, sed foco adsidebant, vel pedibus incertis in domo obambulabant. Quamvis nonnullos viderim, qui non ultra aliquot horas de die lecto, durante morbo, essent adstricti, plures tamen gravior factus morbus lecto affixit. Facili autem tunc negotio sudore diffluebant; somno non reficiebantur, et si forsan oculos clauderent, turbabantur miris phantasmatibus, quæ etiam sæpe vigilantibus aderant. Pulsus erat multo debilior ac in simplici febre biliosa; lingua impura, in principio morbi tantum mucida, tandem lutea, quin et nigra, cum sapore amaro, nauseoso. Alvus nunquam ex æquo parebat; in principio maxime diarrhœa vexabat. Urina valde varia, maxime limpida atque turbida. In nonnullis singulares contractiones manuum pedumve sunt observatæ; in aliis autem spasticæ quædam contractiones viscerum abdominalium, vel eorum a flatibus distensiones sunt subortæ. Semper hinc eructabant histericarum in modum.

Surditatem jam primis morbi diebus enatam vidi, ad finem morbi perdurantem.

Multi propter levitatem morbi se febrire nescientes, per legitimam diætam et per usum medicamentorum alvumque moventium, sine ulteriori incommodo, cito convaluerunt, fe-

bremque superarunt in aliis pessimas insidias struentem, et homines nonnunquam, nemine periculum subolente, vita, præter omnem expectationem, subito privantem. Sic morte subitanea vir 33 annorum, qui ad nonum usque morbi diem, cum mens vitiari cœpit in domo ambulabat, die undecimo, superveniente phrenitide est interemptus. Iu plurimis autem diuturnior morbus est factus, ad septimam, quin octavam septimanam perdurans.

Venæsectione nil magis lædebat; atque laxantia, durante cruditate, sumpta morbum semper exasperarunt, debiliori evadente corpore. Emeticum a contrario bene ferebant, vomebantque viridem bilem.

Differt itaque hæc febris a mera biliosa per momenta potissimum sequentia.

Febris est debilîor, atque difficulter, quod in phreniticis animadvertit *Cælius Aurelianus*, ad superficiem corporis adscendit; dolor capitis major; vultus pallidus atque tristis; mœror animi in his, in aliis mira præsto sunt phantasmata. Tandem variæ spasticæ contractiones, tremores artuum, atque debilitas universalis oppido frequentius animadvertebantur.

Quibus rite perpensis, nemo dubitabit arbitror, descriptum morbum ad febres nervosas referre, ingenti nervorum ataxia, in singulis symptomatibus, non loquente, sed clamante.

Quod si dein volupe sit, præsentem des-

criptionem cum observationibus Cel. *Huxhami*, (1) circa febres lentas nervosas institutis, comparare: ingenti, quæ inter hos morbos intercedit, similitudine quilibet sane tenebitur, atque convincetur de eo: nervos in his casibus subnatis mirum in modum fuisse fractos.

Verum enim vero, quanta quanta etiam ista similitudo sit, ea tamen non est tanta, ut omnem excludat differentiam. Nam morbos lentos nervosos conjunctos vidit Cel. *Huxhamus* cum exanthematibus pessimi moris, ut pustulis miliaribus; petechiis, male medicis audientibus, atque aphthis nigricantibus, certo infallibilique documento: materiam quandam putridam, sanguini admixtam, nervisque inimicam, tantorum malorum fuisse causam. Sed putridum talem sanguinis statum nunquan in hac febre biliosa nervosa vidi, neque comperi, illum aliis innotuisse. Aliam ergo causam, æque valentem febrem nervosam excitare corporibus, hic locorum, inhæsisse, morbumque irritasse, inde sane fluit. Quam autem causam proximam, *Bilem* circa præcordia hærentem, nervosque singulari modo lædentem, nec aliam fuisse, strenue affirmo. Cujus asserti rectitudinem signa bilis in historia morbi paulo ante suppeditata; constitutio epidemica, nec non methodus medendi maxima ex parte anti-

(1) Opera Physico med. Pars I,

biliosa,

biliosa, extra omnem dubitationis aleam posuerunt.

Sistitur itaque febre biliosa nervosa singularis quædam species febris mixtæ naturæ, et nervosæ, et biliosæ, in quam propter insidiosam principii lenitatem, anomali morbi notio omnino cadit.

Medentem autem *oportet*, secundum effatum *Hippocratis* (1) in hoc morbo *intueri tam communia quam propria.*

Communes habet hæc febris indicationes supra positas generales febris biliosæ, materiæ biliosæ præparationem atque evacuationem indicantes. Sed suas quoque agnoscit proprietates, quæ in viribus servandis, illisque, corticem peruvianum atque alia analeptica propinando, sublevandis, positæ quam maxime.

Huic ergo morbo medicinam faciens, primo vel quam statim licet, nam interdum digestiva sunt præmittenda, emetico quodam, quo corpus quidem fatigatur, minime vero infirmatur, ventriculum a saburra biliosa liberare, neque timere velit, quæ olim contra emetica, cum schola *Sthaliana*, pronunciaverit *Junkerus* (2), optime exemplo *Huxhami* refutatas, qui *homines minus vomitoriis quam laxantibus lædi* (3)

(1) *Hippocr.* Epid. I. 5.
(2) Conspec. Therap. Tab. 56.
(3) Vid. l. c.

æstimat. Post vomitus celebratos, digestivis salinis, sali *Riverii*, vel sali ammoniaco, si diarrhæa vexaret, vel aliis mediis digestionem resolutionemque promoventibus, atque aquis stillatitiis gratis, locus erat concedendus. His interdum mature, interdum vero, quando corpus materia pituitaria onustum videretur, serius, cortex peruvianus, vel, quod cortice præstabat, extractum corticis erat interponendum, in parva dosi etiam utile, nam horresco quatuor uncias corticis, quas viginti quatuor horarum spatio propinasse refert Cel. *van den Bosch* (1). Præstabat dein, hæc medicamenta cum salibus atque aliis ita conjungere, ne æger propter debilitatem deficeret, vel propter obstructiones alvinas supra modum angeretur.

Laxantibus hinc, superata cruditate, nunquam carere potuerunt decumbentes, quibus non ante egestionem magnæ quantitatis materiæ biliosæ redierunt vires; alias semper manente proclivitate recidivandi, vel in alium morbum migrandi.

De vino quidem inquit *Plinius*: *certum est non dandum in febre*, sed his paulo post adnectit: *Cardiacorum morbo unicam spem in vino esse certum est* (2). Non quidem omnem febrem

---

(1) L. c. p. 38.
(2) Vid. *Plin.* Libr. 23. Cap. 24. 25.

nervosam pro morbo cardiaco habeo : æstimo autem, vinum febre nervosa decumbentibus haud tuto posse subtrahi.

Maximam similitudinem habet hæc febris cum phrenitide, cujus naturam atque sedem, singulari diligentia, in arte Machaonia versatissimus, et apud *Osnabrugenses* solertissimus Practicus Cel. *Fein* (1) perscrutatus est.

Vidi talem casum in clerico quodam 30 annorum febre nervosa laborante, ad quem non ante quintum morbi diem, cum se jam restitutum crederet, ingenti diffluente sudore, sum vocatus. Sed, quod prædixi, evenit. Nunc enim primo morbus gravis atque longus est factus. Nam præter ingentem nervorum memoriæque debilitatem aderant interdum deliria phrenitica : sputationes continuæ; loquacitas; laudes bonæ valetudinis atque illa signa, quæ habet *Cælius Aurelianus* : *vultus subinflatus, sive plenus; sanguinis per nares destillatio; vigiliæ juges; somnus turbatus* (2), etc.

Urina in hoc semper erat varia, atque mutabilis; mox turbida atque crassa; in tenuem pellucidamque subinde abiens; nonnumquam etiam urina, præter rationem erat cocta. Quæ signa fallacissima, auctoritate *Hippocratis* atque

---

(1) Vid. Dissert. de Phrenitide analecta. Gottingæ 1765.

(2) Vid. *Cæl. Aurel.* Libr. I. morb. ac Cap. II.

Baglivii admodum in hoc morbo damnavit Cel. *Fein* (1). Diu, mentis errore præpeditus æger, vim febris non sensit, et post aliquot demum septimanas, superveniente diarrhæa biliosa, convaluit.

Quanta autem in hac febre nervosa ex venæ sectione atque laxantibus intempestivis oriantur mala, sequens docebit exemplum funestum. Feminæ hystericæ 53 annorum, spasmis abdominis sæpe vexatæ solemne per aliquot tempus fuerat, quotidiano laxante uti, quo tamen non potuit impediri, quo minus materia biliosa inquinaretur. Incidit hinc in febrem biliosam regularem, quæ methodo supra dicta non solum est fugata, sed optima valetudine dein per aliquot menses feminæ frui dabatur, donec, post varias animi commotiones, renascens sentiret malum, quod laxantibus repetitis atque nimis tenui victu propellere tam longe abfuit ægra, ut febrem magis biliosam nervosam, cum summis anxietatibus stipatam, in maximam sui perniciem irritaret. Chirurgus vocatus, et se medicum jactans, non obstante tam ingenti debilitate, tamen tudit venam. Magis atque magis ista evacuatione intempestiva viribus fracta me tandem vocare jussit.

---

(1) Vid. Diss. de Phrenit. anal.

Anxiam, inquietam, nec in lecto se detinere valentem, sed jam per aliquot dies sellæ insidentem videbam. Somnum non capiebat; atque diffluebat ingentem in modum sudore frigido. Linguam gerebat nigram, atque tenacissimo muco obductam. Sitis erat ingens; sapor amarus; vomitus inanes; spasticæ contractiones in abdomine; ingens alvi obstructio; pulsus vix perceptibilis atque frequens; respiratio bona.

Tentata sunt frustra antispastica atque deobstruentia varia, quibus tandem venter apertus est redditus. Sed irrita erant omnia, neque Chinam perferre potuit. Paulo post fatis cessit.

Recte ad hunc morbum attendens, *Cardiacum Celsi* illum nominare non dubitavi. An ergo recte ad febres nervosas refertur? sub judice lis est. Affirmat id *Huxhamus*, negat *Vogelius* (1).

De febre biliosa bullosa.

Febrem bullosam, quam et Pemphygodem appellat ill. *Vogelius* (2), rarioribus febrium speciebus, sub nostro saltem cœlo adnumerandam esse, ex alto silentio plurimorum scriptorum rei medicæ abunde satis patet. Observatæ quidem sunt a nonnullis bullæ per

---

(1) Vid. Prælect. academ. pag. 40.
(2) Vid. l. c. p. 116.

certas corporis partes distributæ, cutemque fœdantes. Sic in facie et collo vidit bullas H. Fr. *Delius* : in faucibus atque circa pharingem viderunt alii, uti ex *actis Helveticis* refert ill. *Vogelius*. Per omnem vero cutem dispersas bullas, præter *Pisonem* (1) atque *Frenzelium*, (2) animadverterunt, quantum scio, vix alii. Etiamsi adessent hujus rei scriptores alii mihi adhuc ignoti : operæ tamen erit pretium, illas observationes, quas mihi epidemia Tecklenburgensis circa hunc morbum suppeditavit, memoriæ hoc loco tradere.

Mense Junii 1777 vocabar a patre rustico ad filium 13 annos natum, qui jam per aliquot dies morbo fœdo, nec inter vicinos ulli cognito, graviter decubuerat. Cum pueri videndi gratia domum intrarem : admiratio statim subiit animum, in ampla illa domus parte, quæ rusticis areæ muneribus fungitur, vannum ad cerealia a paleis depuranda aptam videre, quæ nunc lecto, adjectis illi fœno atque paucis pulvinaribus, quibus puerum incumbentem inspiciebam, erat accommodata. Quærenti ex patre, cur tam abjecte cum filio, quem perdite amare professus erat, ageret, tulit responsum : neminem hactenus ex propinquis præ fœditate manus auxiliatrices filio præbere ausum esse,

(1) De colluvie seros. Observ. 150.
(2) Acta natur. curios. Vol. X.

temque decumbentis ab omnibus conclamatam fuisse habitam. Accedens tamen et linteamina auferens haud leviter sane inhorrui, cum ingentem copiam bullarum, in quas omnem, quam late corporis partes ambit, cuticulam elevatam inspicerem. Centenis quin pluribus vesicantibus puerum tectum credidisses, si omnem fidem superantem copiam bullarum nunc majorum, nunc minorum vidisses, quæ digito pulsum quærenti, cui parti imponeretur, vix relinquebant locum. Neque enim facies, neque planta pedum, neque alia pars carebant bullis.

Variæ autem illæ erant magnitudinis; nonnullæ ova columbina, quin majora; aliæ vero nucem avellanam æquabant; plurimis pisum quoad magnitudinem non excedentibus. Quod ad colorem consistentiamve autem attinet, pellucidæ pallescentesque sunt inventæ. Ex secta bulla profluebat humor albus, albumini ovi similis, tenax atque summe glutinosus, qui linteamina inter se et partes corporis cum linteo tegente, glutinis instar tam firmiter adnectebat, ut magnus, si cohæsio ruditer auferretur, puero inde sit enatus dolor, lacrymas excitans precesque, nollem afflictionem addere afflicto. Nec hoc sane mirum erat, quavis rudiore vellicatione sanguinis fluxum excitante, unde loca affecta sanguine suffusa videbantur, quæ tractu temporis, sanguineque

exsiccato, in escharam nigram vergebant.

Vidi huic admodum simile phœnomenon, alio tempore, post applicationem vesicatoriorum, in persona gracili, irritabili, febre biliosa decumbente. Ex discissa bulla profluebat humor limpidus, quodammodo tenacior, quam sequi alias solet; sequenti autem die, loco seri, aderat sanguis, qui dein nigrescens, loca reddebat horrida aspectu.

Sed redeo ad præsentem casum. Maculas nigras huic morbi generi familiares esse, hasque a Cel. *Sauvages* esse annotatas, testatur Cel. *Selle* in dissertatione supra citata.

Febris signa dein non solum erant aperta, sed et ejus indoles biliosa, ut cetera taceam, ex lingua impura, biliosis simili; sapore ingrato, nauseoso; et ex horroribus intercurrentibus, quodammodo constabat. Erat insuper anxius; siticulosus; ventre obstructus, animo constans.

Dolorem vix alium sentiebat, quam urentem, a materia ex bullis profluente excitatum.

Bullæ primo in pedibus, vix febre præsente et puero adhuc ambulante, sunt observatæ; dein per totam cutem, uti descripsi, sunt dispersæ.

Primum, quod suasi, erat: bullas saltem majores lanceola aperire, dein illas linteo sicco mollique exprimere, materiamque leniter auferre. Jussi dein loca aperta pannis tegere,

quibus inunctum erat unguentum istud *Hænianum*, in exasperationibus cutaneis, ex longinquo in partem quandam decubitu enatis, salutiferum, quod fit super ignem ex vitello ovi atque spiritu frumenti. Eligendum autem mihi fuit hoc, quod dixi, linimentum, partim propter insignem, qua pollet, vim refrigerantem, aliunde jam mihi notam, et in casu præsenti, propter sensum ardoris admodum necessariam; partim etiam, quia propter remotionem locorum vix alia erant comparatu. Nunquam autem postea me hoc medicamine usum fuisse pœnituit. Nam sensus ardoris inde non solum egregie est emendatus; sed et arcta linteaminum cohæsio inde impedita.

In reliqua medela maxime quidem methodum antibiliosam sum secutus: sed illa tamen statui præsenti quodammodo fuit accommodanda. Dedi hinc mixturam salinam ex sale absynthii cum aceto vini super saturationem mixtam, cui dein, præter aquas stillatitias, pauca grana Camphoræ in mucilagine gummi Tragacanthæ solutæ, atque saccharum addebantur. His per aliquot dies adhibitis, laxantia potui dedi, quæ multa biliosa subduxerunt. Decumbendum quidem puero adhuc per aliquod tempus fuit, non febris, sed ulcerum causa. Tandem autem, squamis bullarum desiccantibus, atque deciduis factis, cum sanitate in gratiam rediit.

Sed cum ex his omnibus fons biliosus non

dum forsan satis constet : argumenti loco addo, me post superatam febrem biliosam, in femina a materia biliosa non rite liberata, similes bullas, sed non tam numerosas, delata materia ex intestinis ad peripheriam corporis, semel observasse, et ex alio audivisse, se simile quid sensisse.

Quod si dein præcedentem enarrationem morbi descriptionibus bullarum comparaveris, ab aliis auctoribus, et præcipue ab Ill. *Vogelio* (1) traditis : fieri non potest, quin differentiam quandam, ratione materiæ, detegas. Ex istis bullis enim, seri quandam speciem i. e. fluidum aquosius promanasse, statuunt isti viri ; cum in bullis e contrario a me descriptis, materia glutini baccarum visci querni admodum similis sit inventa. Quæstio hinc posset moveri, an serum coagulatum has bullas excitaverit ; an potius in intestinis stagnans materia biliosa, pituitaria, supra descripta, ad corporis peripheriam, vias aperiundo, potuerit deferri ? Magis pro posteriori sententia pugnant experientia (2), atque hac nutritus Cel. *Van-Den-Bosch*, inquiens : *Degenerata autem*

---

(1) Vid. l. c.

(2) Exempli loco febrem scarlatinam, de qua in capite sequenti agetur, atque erysipelas adduco ; de posteriori morbo per vulgus ferme notum est, in eo acrimoniam biliosam, in internis partibus genitam, subinde peccare.

materia mucosa, calore corporis inquilino acris, exque primis in secundas vias, indeque ad corporis peripheriam defertur, &c. (1).

His omnibus inter se collatis, nemo descriptum morbum pro bilioso anomalo æstimare facile dubitabit.

De febre scarlatina biliosa.

Febris scarlatina nostris incolis admodum adeo familiaris est, ut morbus endemius possit dici. Interdum autem epidemice grassatur. Pandemium vidi in pago quodam, cujus incolis fagopyrum quotidie in cibum cedit, et qui placentis inde frixis abutuntur. Pessima omnium epidemia erat illa 1775, cujus brevem descriptionem *Adversariorum medicorum Parti II*, inseruit Ill. *Metzgerus* (1). Maxime, ut reliqua taceam, puellæ a duodecimo ad vigesimum secundum ætatis annum tunc infestatæ sunt inventæ. Erat autem istud morbi genus inflammatoriæ atque putridæ indolis, longe diversum a casibus in præsentibus paginis descriptis, in quibus fomes biliosus, circa præcordia hærens, et levi investigatione detegendus, nunquam non peccabat, demonstrantibus id lingua impura, biliosa; sapore amari-

---

(1) van den *Bosch* l. c.
(2) Vid. l. c. p. 57. seq.

cante ; ructu nauseoso ; vomitibus biliosis ; etc. Præcursores etiam hæc febris istas molestias habebat, in stadio primo enarratas.

Subjecta huic morbo obnoxia, extabant varia : Maxime autem feminæ juniores debilesque ; dein ætas infantilis.

Morbus contagio non expers esse videbatur. Nam unus in domo morbo infectus, facile ad reliquos transtulit malum. Sic matrem et quatuor infantes una hoc morbo laborantes vidi. Quod ad anni tempora attinet : maxime sæviebat vere 1778, et æstate anni proxime antecedentis 1779.

In plurimis febris admodum facilis erat toleratu, et vix pro morbo habendus, qui non ultra aliquot horas de die lecto erant adstricti. Leviter in his tantum rubebat cutis; neque angina erat molesta. Alii autem gravius decumbebant, quales erant puellæ sanguine florido donatæ, quæ propter anginam inflammatoriam periculo non vacabant. Interim tamen neminem ab hoc morbo interemptum scio, si a puero discesserim, cui propter intermissum emeticum, et ob malam diætam, a faucibus, cum jam convalescere inciperet, ad pulmones delata fuit inflammatio mortifera.

Vidi e contrario alios, in quibus tumor atque rubor ab externis pectoris partibus ad collum faucesque, sine tamen omni noxia, sunt delati. Internam vero faucium inflammationem pha-

ringem magis quam laryngem occupasse, ex impedita deglutitione, salva respiratione, satis abundeque apparebat. Et quidem inter hos quædam varietas adfuit. Nam quamvis in nonnullis rubor atque dolor, quin et tumor aliquis adessent; in multis tamen vix visibilis inflammatio urgebat, magna potius quantitate muci tenacis in fila ductilis, omnem oris cavitatem, quin et fauces atque tubum cibarium replente, qui ex ventriculo, tanquam fonte, sentientibus id ægrotantibus, renasci est visus. Gargarismata vel injectiones hinc vix ullius erant usus; sed emeticis erat utendum, quibus magna quantitas muci bilisque, non sine insigni levamine ægrotantium, est egesta. Quibus autem vomitoria non fuerunt propinata, his diu cum morbo, ingentibus anxietatibus stipato, erat luctandum; et multis gargarismabus vel injectionibus, quæ oxymel scilliticum atque sal ammoniacum reciperent, opus habebant.

Quod ad maculas scarlatinas autem attinet: die morbi secundo vel tertio erumpentes, non omnem cutem, uti id epidemiæ 1775 solemne fuit, erysipelatis in modum infestabant; sed facies tantum; collum, pectus atque extremitates superiores rubebant, cæteris partibus manentibus liberis. Neque hoc, quod affectum erat, diu hunc colorem retinuit, cuticula jam

die decima, vel paulo serius, per squamas reddita decidua.

Hydropem pedissequum febris scarlatinæ, docente id Cel. *Rosenio*, quemque in epidemia 1775 multi subierunt, post hanc febrem enatum me vidisse, non recordor.

Subinde hanc febrem complicatam fuisse cum febre arthritica biliosa; tussi; vel alio denique morbo, dixi jam supra.

Restat ut dicam, materiam pituitariam primi generis in hac febre ferme non semper peccasse, atque ingentes obstructiones alvinas creasse.

Ex dictis nunc constat, hanc febrem non admodum fuisse periculosam, et, recta adhibita medela, facili negotio potuisse superari.

Partem curationis jam antea absolvi. Superest adhuc monere, vomitum etiam in illis casibus fuisse excitandum, in quibus communis methodus medendi emetica vitare jubet, anginæ inflammatoriæ malum puto. Nunquam autem inflammatio erat tanta, quanta in vehementioribus anginæ periculis esse solet, in quibus ne audacisssimus quidem id remedii genus haustui dare non timeret. Cognoscitur autem inde, quanti constet, causas morborum scire!

Emeticis, in his casibus acrioribus, ut tutius per superiora corpus posset purgari, sæpius

præmisi venæsectionem, quæ in reliquis casibus certo nocet.

Quod ad reliquam curam attinet: præter digestiva, propinandas dedi mixturas salinas, quodammodo camphoratas, atque acidulas. Tandem, cruditate superata, laxantia repetita neutiquam potuerunt omitti.

Huic similem morbum descriptum legimus apud Illustr. *Baldingerum* in scripto illo periodico, quod singulis mensibus, in usum practicorum editur. Conferri etiam merentur, quæ *Rosenius* in dilecto libro: *de morbis infantum*, super hoc morbo cum orbe litterato communicavit. Reliquos auctores vide apud Cel. *Selle*.

De angina biliosa.

Angina biliosa eodem modo, quo febris scarlatina, et incipiens, et desinens est, illo tantum interposito discrimine, quod corpus a maculis integrum præstet. Brevibus hinc tantum de hoc morbo agam, qui tutus esse solebat, et spatii minime longi.

Magis in hoc morbo, quam in præcedenti, deglutitio atque respiratio erant impedita; major etiam aderat inflammatio, cum tumore atque rubore juncta. Sed et mucus ejusdem naturæ atque originis, non secus in hac, quam in scarlatina, erat molestus; infantibus præ-

cipue, quibus morbus maxime erat familiaris. Conjuncta cum his malis erant febris levioris gradus, atque varia incommoda circa ventriculum. Signa bilis autem erant ea, quæ in febre scarlatina posui; neque vix alia remedia desiderabat morbus, quam eo loco laudata. Propinavi nempe emetica; gargarismata; mixturas salinas; sub finem laxantia.

Suppurationes, quas in febre scarlatina nunquam vidi, in hac angina biliosa, aliquoties observavi.

Plura de hoc morbo vide apud Illustr. Tissotum (1).

De febre atrhritica biliosa.

Inter causas arthritidem excitantes, saburram biliosam circa præcordia stagnantem, non infimum occupare locum, præter *Hippocratem* (2), *qui a bile corrupta et sanguini admixta articulos male affici* docuit, experientia ductus egregie demonstravit Cel. *Musgravius* (3). Pluribus autem atque gravioribus argumentis idem postea comprobavere Illustr. *Schrœderus* et Cl. *Dugend* in Dissertatione inaugurali de *Arthritide vaga* (4). Sed et epidemice interdum vaga-

(1) Avis au Peuple, Tom. I. Chap. VI.
(2) *Hippocr.* de intern. aff. Cap. 44.
(3) De *Arthritide*, symptomatica, p. 64.
(4) *Gottingæ*, 1768.

tur

tur arthritis, eaque ex causa biliosa. Sic, ut illust. *Strack* taceam, qui in *Actis Moguntinis* Parte I, (1) epidemiam arthritidis vagæ descripsit; ex fomite bilioso, tamen morbum vidit Cel. *Stoll* (2).

Erat autem id genus morbi inflammatoriæ simul indolis, cui vesicantibus atque antiphlogisticis medebatur medicus *Vindobonensis*, longe diversum a nostra nunc describenda constitutione epidemica, in qua tantum aberat, sanguinis dispositionem inflammatoriam videre, ut ab illa potius quam maxime recederet. Nam genus hominum, quod huic morbo succubuit, quales erant debiles atque teneræ femellæ, inflammationi creandæ, obstabant quam maxime.

Antequam articuli afficerentur, jam per aliquot dies homines, mox in intensiori, mox in remissiori gradu, febre laborare solebant, sentiebantque varia incommoda bilis, ut nauseam; vomitum; dolorem circa regionem ventriculi; sitim; obstructionem alvi ingentem; et præcipue absentiam somni. Vidi hominem hoc morbo laborantem, per tres septimanas somno carere; et qui, subacta materia biliosa, statim somno est refectus.

Die febris secundo vel tertio articuli manus

(1) P. 317.

(2) Ratio medendi in nosocomio practico, p. 1. 1776.

vel pedis dolore incipiebant, quem paulo post tumor ingens, ut œdema simularet, excepit. Dein uber sudor erumpebat, atque dolor invalescebat, qui plerumque erat fixus, sed sæpius vagus. Neque his incommoda circa ventriculum, paulo ante descripta, sunt emendata, tam diu persistentia, donec lucta naturæ, vel ope artis, vinceretur materia biliosa. Qui ergo medicamentis carebant, diu et per menses huic morbo succubuerunt. Quæ cum ita in nonnullis casibus comparata esse viderem: methodum antibiliosam huic malo opponere nullus dubitavi, quam dein experientia comprobavit.

Equidem methodus illa, supra in parte priori laudata, fuit adhibita, e. g. digestiva atque emetica; sed eligenda etiam fuere talia indicata, quæ, si qua essent, jam ab aliis in arte peritis viris in hoc morbo salutifera sunt inventa. Kermes autem minerale, toties à doctis viris (1) in his casibus laudatum, egregias minimeque contemnendas virtutes resolventes, diaphoreticas, atque laxantes hic sæpius edidit. In aliis casibus autem, quando nimia quantitas materiæ pituitariæ peccaret, omnem paginam absolvebat *pulvis alterans Plummeri*. Calomel enim in maxime desperatis arthritidis doloribus

(1) Vid. *Tissot*, et van den *Bosch*, l. c.

summam sæpe utilitatem præstare, vel mea vice, minus apposite arguentibus, absolvet *William*.

Ex classe remediorum salinorum elegi sal mirabile Glauberi, quod in his morbis biliosis egregias possidet vires incidentes, atque resolventes. Possunt inde laudes explicari, quas huic sali, methodo *Gravennorstiana* præparato, tribuit beatus *Waglerus*; et casus possunt determinari, quando utile.

Cum et huic hominum generi potum calidum nocivum viderem: ut aqua limpida succo citri, vel aceto vini temperata, sitim fallerent, lubenter permissum dedi.

Externe cerato, vel panno, quem *Flanell* dicunt, partes tegere suasi.

Complicationes huic morbo familiares erant scarlatina biliosa, atque tussis; reliqua.

Et ita quidem se habent febres biliosæ anomalæ, quas fusius describere, supra promiseram!

Restat adhuc ingens numerus febrium intermittentium, catharralium, atque inflammatoriarum, quas plane sicco pede transire, vetat instituti ratio.

Febres intermittentes cæteris febrium speciebus omni quidem tempore erant intermixtæ; sed maxime eas protulerunt ver 1776 atque autumnus 1779, quæ vel primariæ, vel secundariæ, post male curatam febrem biliosam

exstiterunt. Et hæ quidem erant vel quotidianæ, vel tertianæ, vel quartanæ. Quotidianarum genus frequentissimum fuit. Saburra biliosa, mucosa, in epidemia regnans, nunquam non in his facile detegenda, eamdem postulabat medendi methodum, quam supra in febribus biliosis laudavi; et Chinæ præmaturo usui eadem obstabant impedimenta, quæ supra sunt commemorata, ingens nimirum materiæ visciditas, quod sequenti comprobabitur casu.

Vir cholericus, 60 annos natus, qui in ætate virili multoties febrem intermittentem regularem erat expertus, autumno 1777, cum plures in ejus domo febre biliosa correpti essent, variis laborabat incommodis, ex orgasmo sanguinis bile irritati oriundis, quæ, quamvis interdum leviora essent, tamen non ante æstatem 1778 disparuisse sunt visa. Utebatur dein, ut reliqua taceam, æstatis tempore, aquis Pyrmontanis, quas ex fonte hausit. A Thermis rediens, et se restitutum credens, circa autumnum repullulantem sensit morbi nequitiam, congestionibus nunc magis in motus febriles mutatis, quibus dein jungebantur varia incommoda læsæ digestionis, nec non anxietates ingentes, ita ut melancholiæ metus nonnunquam suboriretur. Sed, variorum digestivorum atque evacuantium remediorum usu, corporis conditio quodammodo quidem fuit emendata, motusque febriles propulsi; sed

neque anxietates plane disparuerunt, neque crassa linguam tegens pellis ullo opere potuit auferri, a chinæ usu ingravescente malo. Vere 1779 motus febriles denuo excitabantur, qui ad æstatem usque permanebant, pelle linguæ adhærente multo adhuc reddita crassiore. Qui motus febriles, antea sine ordine decurrentes, nunc typum quemdam servare inceperunt, quarto quovis die malo ingravescente, persistentibus reliquis diebus a febre liberis. Quibus rite perpensis, febrem quartanam subolere cœpi. Redii hinc, præmissis præmittendis, ad Chinam. Sed minus res ex æquo parebat. Nam anxietates inde magis increscebant, febre non remittente.

Ad pellem tenacem, linguam tegentem, cujus exemplum habet Cel. *Van Den Bosch* (1), nunc accuratius attendens, nec sedimentum lateritium in urina videns, viscidam atque biliosam intestinorum materiam accusavi, quam omnibus viribus reserandam esse putavi.

Cum nimis debilibus armis me antea pugnasse viderem, quamvis sale ammoniaco atque cæteris resolventibus in magna quantitate eram usus: fortiora tentare decrevi. Inciderunt mihi autem in mentem eximiæ laudes, quas Calomelli in profligandis nonnullis febribus intermittentibus post *Frid. Hoffmannum* tribuit Cel.

(1) L. c. p. 177. et seq.

Lyson. Statui hinc, hoc remedio esse utendum; cujus grana duo cum sale ammoniaco atque rheo singulis mane sumpsit, dummodo febris non inquieta aliqua tempora præstaret. Vix aliquot dies erant elapsi, cum pellem in lingua decrescentem viderem, egesta simul, in magna quantitate, pessimum odorem spargente materia biliosa.

Nunc Chinam tentare suasi, quam sine noxa sumpturam pollicebar. Neque eventus spei erat adversus: nam, sine vitio visceribus illato, quievit paulo post morbus. *Febrem catharralem biliosam* non diminutam perspirationem, neque frigorificas aëris particulas, sanguini admixtas, illumque, ex sententia *Keilii* (1), conglaciantes, sed aliam causam sequi, vero admodum simile est. Inexplicabilis enim aëris quædam constitutio ad hunc morbum requiritur, qua mediante in corporibus materia biliosa onustis, istud malum irritatur.

Ferme omne hominum genus huic morbo succubuit, qui maxime sæviit hyeme 1779 et 1780.

Morbum anteibant lassitudo, atque gravitas corporis; dolores capitis; atque noctes inquietæ. Dein, post leve frigus, accedebant indicia catarrhi, ut gravedo; raucitas; angina;

---

(1) *Keil*, Tentamina Physico medic. Disquisitio I. pag. 24.

tussis; quibus statim jungebantur incommoda quædam circa ventriculum. Maxima ex parte hinc erant nauseosi, cibumque aversantes; et sæpe bilem vomentes. A cibo sumpto autem, præsertim, si in carne, lacte, vino atque potu calido delictum erat commissum, pejus habebant omnes. Hæc ergo erant vitanda, sed magis cibus levis, acidulæque indolis sumendus; atque haurienda aqua pura, aceto vini mixta. Ab infusionibus pectoralibus nihil solaminis habebant; neque sudorifera ullius erant usus. Medicamenta incidentia autem, salina, digestiva atque leniter laxantia, quin et vomitoria interdum cito sæpe morbum profligarunt. His tamen interponenda erant oxymellita, atque sulphur antimonii auratum tertiæ præcipitationis.

Pejor autem erat casus, qui neutiquam periculo vacabat, quando materia ista bilioso-catarrhalis pulmones occuparet, atque peripneumoniæ nothæ speciem efficeret.

Insidiosus erat morbus, atque in debilibus vix curabilis. Hac, ne quid reticeam, nuper extincta est matrona, cujus historiam morbi, pag. præc., suppeditavi, quæ tamen servari potuisset, dummodo emetico permissum dedisset.

Febris inflammatoria biliosa in nostra epidemia admodum varias ludebat formas, atque gignebat morbos nomine magis, quam re ipsa,

inter se diversos, pleuritidem nempe, peripneumoniam, pleuropneumoniam atque hepatitidem. Tantum abfuit, ut venæ-sectionem in his casibus semper bono eventu secundatam vidissem, ut noceret illa potius in casibus nonnullis. Quando autem ægrotus, vel morbi gravitas, id auxilii genus postularent: videndum erat sane, ne in nimis larga quantitate, una cum sanguine exhaurirentur vires, quod morbum invalescere dabat. Extat casus a me supra descriptus, qui id comprobat. Anxietates atque respirandi difficultates usque adeo post alteram venæ-sectionem erant auctæ, ut certo animam efflasset æger, nisi resolventibus atque laxantibus cito a materia biliosa esset liberatus.

Nunquam hinc, qui *Baglivium* (1) sequuntur, tam audacter secabunt venam.

In nonnullis casibus materia, pulmones inflammans, tam viscida est inventa, ut nonnisi pulveribus calomellanis obstructio potuerit reserari. Vidi tale exemplum in homine sexagenario, peripneumonia biliosa laborante, et ab omnibus jam pro conclamato habito. Nam pulsus erat ad quævis minuta secunda intermittens. Qui, cum jam per aliquot dies hoc morbo graviter decubuisset, nec quidquam coctæ ma-

---

(1) *Bagl.* l. c. in cap de Pleuritide.

teriæ per sputa ejicere potuisset: moribundus ferme, secundum effatum *Celsi*, *in extremis extrema tentanda*, sumpsit pulveres nonnullos Calomellis, cum tam egregio eventu, ut statim sputa cocta haberet, atque per ventrem multa biliosa, cum reditu optimæ sanitatis, egereret.

De *morbis biliosis anomalis non febrilibus*, *generatim*.

Propositis morbis febrilibus, progredior nunc ad id fœcundum genus morbi biliosi anomali, quod febre vacat. Nolo autem, hanc negationem febris ita intelligi, ut et ad quoscunque motus febriles, quos subinde videre est, extendatur, omnisque pulsus frequentia excludatur. Solemne potius his morbis erat, frequentibus motibus febrilibus mutari, augeri, quin et imminui. Quid quod! in corporibus nonnullis, in quibus calor præternaturalis nondum antea accendi inceperat, sub finem morbi, vel post usum medicamentorum digestivorum atque alvum laxantium, identidem febrem levioris gradus atque biliosæ indolis subnatam vidi. Inde autem morbi natura non solum in aprico, et contra objectiones minus credulorum tuta est collocata; sed et ægrotis hoc admodum fuit proficuum, febre, inter resolventia, remedii optimi munere fungente. Fit

autem, ut verbis Cel. *Werlhofii* (1) utar, per ipsos motus naturæ, ægrotantis licet, eosque tam atterendo, alterando, et aperiendo, seu coctionem et separationem molientes, quam aut congestione ad partes ignobiliores, aut potissimum excretione critica, materiam morbidam removentes. Sed cum ars febres excitandi multum ab hoc *viro magno* simul sit limitata, dum *non gradus ejus* ex sententia *Rhodii in medici arbitrio* sit: nunquam tutum judicavi, febrem irritare.

Subjecta morbis biliosis anomalis non febrilibus maxime obnoxia: extabant sequentia:

Primo, corpora senilia, quæ, præeunte *Hippocrate* in Aphorismis, ad febres non valde sunt disposita; dein, quæ laxo corporis habitu erant donata, utpote quæ, nam *hebes est*, monente *Lommio*, *corpus obesum*, etiam non facile febriunt; homines porro atrabilarii, et qui de sapore vitriolico adstringente conquerebantur valde; gens judaica denique post festum paschatis, cum panis non fermentatus illi in cibum cesserat; vel tandem alii, qui singulari quadam corporis dispositione non enarrabili erant præditi, qua febris vel excludebatur, vel retardabatur.

Quum autem istæ conditiones ad finem

---

(1) *Verlhof.* de limitandis laudibus et vituperiis medelar.

morbi usque non semper permanerent : fieri utique potuit, ut procedente tempore, et adhibitis medicamentis resolventibus atque laxantibus, vel levior febris gradus, vel saltem motus febriles sæpenumero irritarentur. Quid quod! plus vice simplici veram biliosam febrem sic enatam vidi. Sed tunc cessante notione morbi biliosi anomali non febrilis, relegamus casus ad partem hujus operis priorem. Loquor tantum de motibus febrilibus. Equidem non potest negari, morbi naturam biliosam, uti jam antea dixi, tunc temporis esse extra omnem dubitationis aleam positam; sed neque in omnibus casibus, neque in principio, vel eo tempore hoc accidebat, cum medentis res hoc a natura datum consilii genus expostularet, atque medicum, propter initam methodum antibiliosam, apud ægrotum excusaret. Factum est inde, ut ægrotantes increduli subinde medico irascerentur, atque illum desererent, quoties bilem ab eo accusatam audirent. Quod, cum mihi multoties evenire viderem, istam methodum in nonnullis casibus abdicavi, aliam viam inire statuens. Sed ita pejus adhuc ægrotantibus consuli videns, methodum desertam, vellem, nollem, denuo arripere debui; utpote qua apprime confirmabatur, eamdem nec aliam materiam biliosam, quæ in aliis febrem irritabat, hos morbos sibi quoque vindicasse. Quid quod! multoties sine prævia coctione

nihil plane quidquam potuit profici ; et laxantia, in principio data, morbum auxerunt. Medicina ergo his vix aliter erat facienda, quam febre biliosa decumbentibus ; et omnis res versabatur circa digestiva, salina, acida, atque tandem laxantia. Quin imo propter absentiam febris, vel istius moliminis naturæ, quod viscida incidit, crassa attenuat, obstructa resolvit, potioribus atque diutius continuandis medicamentis præparantibus, ad pepasmum superandum, opus habebant isti morbi.

Ex his nunc sole meridiano clarius patet, me ad hanc classem morborum non illos casus referre

Quorum sanguine et igne micant oculi

i. e. qui ex vehementi quadam animi commotione et præcipue ex ira oriuntur, cum his illust. virorum *Gaubii* atque *Zückert* referti extent egregie super hac re editi libri, qui consulendi.

Quæ, cum ita essent comparata, nemo mirabitur, multitudinem hominum morbis biliosis anomalis esse extinctam, quorum nomina catalogo morbo bilioso interemptorum frustra inserta quæres. Sic, ut exemplo rem comprobem, gravida habebatur mulier, quæ tantum variis molestiis ex bile male angebatur. Suadebam remedia talia, quæ neque præsenti graviditati nocuissent unquam. Sed spretum fuit consilium. Tussi accedebat hemoptysis,

phthisis, atque dein omnium pessima solutio, mors.

Facili contra negotio a pessimis malis e. g. ab hydrope, cephalæa atque malo hysterico, ex hoc fonte enatis, liberavi alios, qui cum vulgo causam morbi ignorantes, citam medelam admirabantur.

Præcedentia signa morborum biliosorum anomalorum non febrilium maxima ex parte quidem erant ea in stadio primo enarrata; sed sæpe etiam aderant, quæ passioni cholericæ anteire semiologiæ castus Scriptor, *Cælius Aurelianus* refert: *stomachi* nempe *gravedo atque tensio; anxietas; jactatio; vigiliæ, ructationes fumosæ; nausea; gravedo thoracis cum membrorum defectu* (1).

Quamvis negare nequeam, morbos, in sequentibus paginis descriptos, non alio tempore, quam durante hac nostra constitutione epidemica, esse enatos; similes tamen et aliis temporibus et aliis locis adesse posse, nullus dubito.

Cum ante aliquot menses in peregrinatione quadam tempus quoddam consumerem, incidi forte fortuna in hominem, jam per multos dies colica biliosa, omnibus symptomatibus nostræ epidemiæ stipata, tentatum. Linguam habebat aridam, siccam, tenaci muco bilioso

---

(1) Vid. *Cæl. Aurel.* morb. ac. lib. III, cap. XX.

obductam; sitim ingentem; et continuos cona-tus ad vomendum. Emeticum non dederat medicus, sed utebatur bolis ex Extr. Chamomillæ; Floribus sulphuris, et paucis granis Rhei conflatis.--- Minus sane, propter ingentem visciditatem materiæ, arridebat medicamenti forma, quam ipsa medicina. Sed hæc hactenus!

Restat, ut evincam alios auctores, et præcipue cel. *Tissotum*, quamvis aperte de his non loquatur, similes tamen casus morbi anomali non febrilis observasse, nec plures illum potuisse annotare propter celerem decursum Epidemiæ, quam descripsit. Inquit autem: *Notandum est, generationem febris biliosæ non esse opus unius horæ, congeruntur sensim sordes; obstruuntur viscera, languent gastrici systematis functiones; imperfecta remanet digestio, imperfecta ergo et nutritio; nec eadem inde sanguinis quantitas conficitur, nec idem ille elaboratus sanguis, solus fere inflammari capax* (1).

Epidemia *Lausannensis* non ultra annum sæviit: fieri hinc non potuit, ut tam diversos ludos ageret, cujus epidemia Tecklenburgensis capax fuit.

In Scorbuto autem non aliter rem comparatam esse, cel *Dinkgreve* docuit in eleganti Dissertatione, quæ L. B. 1772 prodiit, in qua simi-

(1) Vid. l. c. p. 101.

ſitudinem febris putridæ atque scorbuti evincit. Demonstrat hoc, ut reliqua taceam, ex symptomatibus et effectibus hujus morbi variis summam sæpe putredinem arguentibus, cumque iis febris putridæ satis convenientibus, ea tantum cum differentia, ut, quæ in febre putrida citius oriuntur, et se invicem sequuntur, in scorbuto, ob causam ejus putridam minus validam, lentius suum cursum persolvant. Quæ si in scorbuto largimur, cur in aliis morbis negemus?

De Tussi biliosa.

Inter morbos hujus prosapiæ omnium frequentissimus tussis casus fuit, quam omni anni tempore et omnem ætatem affligentem vidi. Sed cum, durante hac nostra constitutione epidemica, quinque species tussis biliosæ observaverim, quarum unica tantum morbi anomali classem subit: numerus ægrotantium huc referendorum inde admodum sane imminuitur.

Prima autem est tussis sympathica, quæ non nisi exacerbationis tempore in febre aderat; reliquo tempore autem, corpore manente ab ea integro.

Altera est tusssis symptomatica, priori gravior, non intermittens, nisi per intervalla paulo levior.

Tertia species est accidentalis e. g. catarrhus febri biliosæ superveniens.

Quarta conjuncta est cum febre catarrhali biliosa supra descripta.

Ultima tandem vel quinta est anomala, sæpe cum, sed frequentius sine febre homines infestans, et periculo non semper vacans, siquidem nemo tussim sine custodia sui tuta diu perferre potest.

Differt deia tussis biliosa ab omnibus reliquis hactenus ab auctoribus scriptis mandatis speciebus. Sic ut catarrhalem atque phthisicam in præsentiarum missas faciam, minime cum stomachica, neque ferina, quam et convulsivam dicunt, est confundenda. Prior enim tantum cibis sumptis ingravescit, neque epidemice regnat; posterior autem alternis diebus invalescit, atque per paroxismos, vomitu stipatos, infantes ferme solum infestat, neque semel superata, si *Rosenio* est credendum, redit. Longe aliter cum tussi biliosa rem esse comparatam, vel inde patet, quod sæpe ea cum febre biliosa sit conjuncta, et frequenter recurrat.

Tandem etiam ex signis infra enumerandis constabit, hanc tussis speciem, et quoad causam, et symptomata ab illo morbo populariter grassante differre, cujus descriptionem dedit *Sydenhamus* (1).

(1) Epistola responsor. p. 194.

Maximam

Maximam autem similitudinem habet cum tussi a vermibus orta, et a cel. *van den Bosch* (1) enarrata. Quamvis affirmare non audeam, in nullis casibus potentiam animatam læsisse; raro tamen hoc accidebat, quin etiam in plurimis ne vestigia quidem interaneorum animalculorum sunt inventa.

Accedentem tussim pro catarrho habebant ægrotantes, quem diaphoreticis lenire studebant. Sed morbus eundo crescebat. In principio percipiebant sensum quemdam incommodum circa cardiæ regionem, pulsantem, prementem, angustantem. His dein adjungebantur hypochondria inflata, atque dolor maxima ex parte hypochondrium dextrum, quod itidem in epidemia verminosa observavit *van den Bosch* (2), offendens. Si dextrum læsum erat: dolor eo loco residebat, quo bilis vesica a natura posita est, qui interdum tantæ vehementiæ fuit, ut illi ferendo vix vires ægrotantis pares fuissent, nisi fortissima compressione id, quod affectum erat, potuissent lenire. Nam, quando adstantes manibus impositis locum dolentem ex omnibus viribus comprimerent, vel quando ægrotantes hypochondrium corpori cuidam duro e. g. mensæ infigerent: facilius atque promptius non solum tussiebant, sed et

(1) Vid. l. c.
(2) L. c., pag. 122.

minus dolorem sentiebant. Paroxysmo finito, nullus amplius dolor urgebat, atque tunc temporis respirationis negotium nullo modo erat læsum. Atque sic

Accusabat Choleram dextræ dolor ! (1)

Inventi tamen etiam sunt alii, in quibus sinistrum latus laboraret. Quod ad reliqua symptomata attinet : pulsus erat debilis, mollis, interdum justo frequentior ; tussis erat, maxima ex parte, sicca, et muci tantum quid egerebatur; sub finem morbi autem in nonnullis, minime vero in omnibus, inventa sunt sputa cocta biliosa, quæ multum de morbo demserunt, Vomitus quidem raro erat junctus ; præsens tamen, et biliosa egerens, profuit valde. Plures autem sentiebant nauseam, saporem ingratam, amaricantem ; linguam habebant talem, qualem sæpius descripsi. Aderant dein plurima incommoda, in stadio primo suppeditata, præcipue obstructio alvi, pertinax non solum in senibus, sed et in infantibus inobediens ; appetitus varius, in his nullus, in aliis vera voracitas. Quoad durationem, etiam varietas quædam extitit : gravis atque diu durans erat in senibus, vel in illis, qui malam diætam sequebantur, vel si alius morbus simul erat complicatus ; levis atque

(1) Vid. *Schol.* saler. l. c.

cito decurrens in infantibus fuit, atque post supervenientem vomitum biliosum, vel etiam diarrhœam biliosam. Anni temporibus hanc tussim tam parum vidi adstrictam, ut illam potius omni tempore observaverim, nulla causa, transpirationem impediente, præsente. Interdum epidemice regnabat, et vi venenum cum aliis communicandi, pollere, haud semel est visa.

Ad symptomata rariora, cum hoc morbo conjuncta, referri merentur: sitis, quæ, præeunte *Hippocrate* (1), atque testante experientia, in cæteris tussis casibus deesse solet; vigiliæ dein; surditas; anxietas ingens; atque sanguinis striæ, citra inflammationem, per sputa rejectæ.

Male tractata oppressit multos, vel inflammationem, cujus indicia nulla antea extiterant, excitando; vel pulmones materia tenaci viscidaque, quin et purulenta (2) opplendo; vel denique febrem lentam accendendo. Inde autem a priori morbo longe diversum statum oriri, nullus non videt. Morbi nequitiam multi hinc nimis sero intellexerunt; et adhuc doleo mor-

---

(1) Aphor. 4. 54.

(2) Vidi nuper feminam, sex menses gravidam magnam quantitatem materiæ purulentæ tussi reiicere. Nulli motus febriles, neque tussis antecesserant. Memini autem, me ante aliquot menses, in femina, cum illam forte fortuna viderem, fomitem biliosum detexisse: atque illi consilium salutare, quod autem spretum est, dedisse.

tem patris multorum infantum, qui ob ignorantiam aliorum, vi morbi coactus, sic manus dedit victas.

Ex dictis nunc patet, variam, pro diverso morbi statu, ineundam fuisse methodum medendi, et in casibus posterioribus mox venæsectione; vesicantibus; expectorationem promoventibus: mox etiam aliis fuisse pugnandum. Sed ab his morbis deuteropaticis me nunc ulterius arcens, paucis verbis methodum medendi exponam, tussi biliosæ aptam.

In multis casibus emetico curationem inchoare, e re esse videbatur; atque sane plus vice simplici, unico emetico id effeci, quod a multis digestivis, atque laxantibus incassum antea speraveram. Interdum tamen etiam hoc medicamenti genus commode potuit omitti, materia nempe biliosa inferiores ventris partes obsidente. Omissis nunc medicamentis expectorantibus, sæpe ventriculum lædentibus, ut oleosis atque dulcibus, sed non *melle*, quamvis illud damnet *Sanctorius* (1), propinanda dedi medicamenta digestiva, salina, acida atque leniter laxantia. His interdum jungenda erant Extr. amara; Gummata ferulacea; oxymel scilliticum; sulphur antimonii auratum tertiæ præcipitationis; quin et interdum Calomel.

---

(1) Static. Sect. III. N°. 101.

Decocta sive infusa pectoralia nullum usum præstiterunt. Nullum enim hominum genus, quocunque etiam morbo bilioso laboraret, potus calidos perferre potuit. Egregie contra aqua frigida, vel simplici, vec aceto vini mixta, sitim extinxerunt.

Quæcunque autem adhibebantur medicamenta, his semper tam diu fuit utendum, donec nulla immundities linguam amplius tegeret.

Medicamentis pretiosis minime opus habet hæc tussis species. Sed vilissime sæpe constabat illam superari e. g. Cremore tartari solo.

Monendum adhuc restat, ex dictis morbi naturam biliosam extra omnem dubitationis aleam esse positam. Videntur nempe pulmones, intercedentibus nervis consentientibus, per acrimoniam bilis ad tussim excitari. Hoc, quod dixi, veritati consentaneum esse, singulari exemplo surditatis, una cum tussi biliosa et incipientis et desinentis, paucis adhuc comprobabo.

Casus.

Vir 68 annos natus, temperamenti cholerico-melancholici, vitæ mobili deditus, et in diæta, si a pinguibus discessero, vix vitium committens, hactenus, præterquam quod illum ante biennium jam semel tussis biliosa exercuerat, optima valetudine utens, accedentem tussim sibi jam notam, medicamentis

diaphoreticis atque sudoriferis, quæ tamen in priori morbo non sumpserat, superare quidem studebat, sed frustra. Aucta magis est de die in diem tussis, cui statim jungebatur surditas. Tussiendo nihil emoliebatur æger, atque habebat noctes inquietas; alvi quandam obstructionem; sitim; saporem ingratum atque amarum. Maxima incommoda autem sentiebat in hypochondrio sinistro, ubi dolor, qui in priori morbo hypochondrium dextrum occupaverat, per paroxysmos irruens, ægrotum male habebat. Motus febriles erant nulli; neque inflammationis indicia poterant detegi. Interim tamen istud malum adeo pertinax, ut nullis medicamentis consuetis et internis et externis posset molliri, ægrotum jam marcessentem reddidit. Tandem post aliquot septimanas tentata sunt medicamenta digestiva, atque laxantia antibiliosa; atque hausit multa diluentia, frigida, acidæ indolis. Vix dici potest, quanta farragine medicamentorum opus fuerit ad materiam viscosissimam resolvendam, atque de loco removendam, quæ tamen tandem manus victas dedit. Nunc, post egestam magnam quantitatem materiæ biliosæ, subito cessaverunt dolor atque surditas, optime sic confirmato Aphorismo *Hippocratis* (1); *Quibus biliosæ sunt egestiones, ſurditate superveniente cessant. Et quibus surditas, biliosis supervenientibus, cessat.*

---

(1) Aphorism. 4. 28.

Quilibet hanc historiam morbi cum illo tussis casu comparans, quem scripto suo periodico, *neues Magazin fur Perzte* nuper inseruit Ill. *Baldingerus*, ingentem sane phœnomenorum inveniet similitudinem, sed admodum dissimilem eventum.

De orthopnœa biliosa.

Præcedenti vicinus morbus est orthopnœa biliosa, qua senes atque mulieres parturientes (1), quin et judæos post festum paschatis identidem vidi laborantes. Oritur illa sæpe ex tussi male tractata, uti jam supra monitum est; sed subinde etiam sine prævia tussi ingruit. Respirandi facultas in his propter materiam mucosam biliosam, ex primis viis ortam, atque pulmones opplentem, admodum erat læsa. Sublime hinc in lecto tenere caput debebant ægrotantes, admodum anxii. Quamvis interdum aliquid cocti ejicerent: frequentius tamen spumam tantum in ore gerebant, quæ rejecta statim renascebatur. Quando autem cocta rejicerentur: erant lutea, viridia, quin nigra. Ex variis signis autem constabat, et infra septum positas partes, et præcipue ventriculum, simul infestari. Vomitoriis hinc raro potui carere, quæ et ipsis parturientibus aliquoties eo effec-

---

(1) Huic vitio mulieres opportunæ sunt magis, quam viri, inquit *Aretæus Cappodox*. vid. Libr. 1. Cap. XI

tu dedi, ut instanti periculo metus detraheretur. Sequens autem erat formula maxime arridens:

℞. Pulv. Ipecacuanh. gr. XV — XX.
Aquæ emeticæ (1) Unc. sem. — drach. VI.
Sulphur. antimon. aur. 3tiæ præc. gr. II.
Oxymell. scill. Unc. sem.

M. S. Cochleatim singulis semihoris sumendum, donec vomitus adsit. Hoc remedio nonnullos feliciter liberatos scio.

In levioribus malis propinavi cremorem tartari cum sulphure supra laudato antimonii, cui etiam alio tempore admixta fuerunt Extractum Taraxaci, gummi ammoniacum, atque radix scillæ, ex quibus dein pilulæ sunt formatæ. Profuit etiam gummi ammoniacum in aceto solutum. Sed neutiquam digestiva potuerunt omitti; quin et laxantia eccoprotica, ventriculo grata, vel vinum medicatum per epicrasim laxans, utilia erant.

Morbus male curatus, vel in mortis subitaneæ causam abiit, vel excitavit morbum alium e. g. hydropem.

De raucitate biliosa.

Frequens symptoma vel febris biliosæ, vel

(1) Aqua emetica constat ex tartari emetici gr. 1. et aquæ comm. Unc. 1. m.

tussis biliosæ, vel febris scarlatinæ, vel denique modo memoratæ orthopnœæ esse consuevit raucitas. Interim tamen etiam sæpe illam vidi enatam ex mera causa biliosa absque ulla alia complicatione, vel symptomate.

Subjecta huic morbo maxime obnoxia erant, docente experientia, homines spirituosis dediti. Quamvis in aliis prompte emendaretur malum, in his tamen periculi non expers fuit. Quum enim istud hominum genus, immemor dicti *Plutarchici* : (1) *robur laudabile quidem sed morbo facile corruptibile*, levioribus casibus haud facile terreatur, sed morbum toleratu non difficilem, semper contemnat : fieri aliter non potest, quam ut succedente tempore, ex raucitate neglecta, propter causas hic commode omittendas, orthopnœa atque phthisis oriantur.

Natura hujus morbi biliosa latere non potuit attendenti ad oris siccitatem, sitim; sensum quendam mordicantem circa ventriculi regionem; ad linguam denique impuram atque biliosam. Alvus tam parum in his, quam in reliquis malis ex bile, recte respondebat, nimiaque siccitate peccabat. Medicamenta erant ea, quæ jam toties laudavi. Vidi raucitatem, jam jam per menses toleratam, neque aliis medicamentis obedientem, unico emetico funditus et subito profligatam. Vomuit autem vir 40

(1) Plutarch. de Liber. educat. Cap. VIII.

annorum, qui emeticum proprio suasu, longitudinis morbi impatiens, sumpserat, et extrema, quæcumque etiam ceciderit alea, tentare statuens, multa bile remixtam materiam.

De singultu bilioso.

Frequenter sane in febribus biliosis singultus casus occurrit, qui etiam interdum cum inflammatione hepatis conjunctus procedens haud leviter terrebit dicti *Hippocratici* (1) non immemorem: *ab hepatis inflammatione singultus, malum.*

Alia autem est illa singultus species, quæ, post fugatam febrem biliosam, homines diu exercere solet. Peccant autem tunc temporis reliquiæ saburræ biliosæ, circa bilis vesicam nidulantes, atque inflammationem hepatis simulantes.

Haud procul ab hoc posteriori casu distat singultus anomalus, hoc tantum interposito discrimine, quod causa latere, nec febris adesse soleat.

Oris tamen siccitas, sitis, sapor amarus, sensus incommodus circa ventriculum, nec non ventris obstructio satis de morbi indole testabantur.

In methodo medendi talia ergo erant adhibenda, quæ bili movendæ apta, supra enarravi.

---

(1) Aphorism. VII. 17.

Nunquam hoc malum vidi molestius, quam in femina, octo mensium gravida, quæ id incommodum duodecim dies ita est experta, ut morbus neque noctes, neque dies liberos præstaret.

Nulla autem sumpsit alia medicamenta, quam ex classe salinorum; acidorum; atque dein decocta Tamarindorum potui illi sunt data, quibus non solum ab hoc gravi malo feliciter est liberata, sed justo etiam tempore puellam est enixa.

De salivatione ex causa biliosa.

Salivationis spontaneæ varias causas, ejus in morbis salubritatem, noxios effectus atque medelam in singulari dissertatione *de Salivatione spontanea* descripserunt Ill. *Junkerus* atque Cl. *Hecker* (1) Excitati in hac dissertatione extant varii clari viri, qui sponte salivam in variis ægritudinibus viderunt fluentem. Sic, ut variolas, febres quasdam intermittentes, atque malum hypochondriacum taceam, in scorbuto illam vidit apud Ill. *Hallerum* (2) *Ronseus*; in febre lenta nervosa *Huxhamus* (3); in constitutione verminosa *van den Bosch*. Neque dubi-

---

(1) Halæ 1768.
(2) Elementa Physiologiæ Tom. VI. p. 58.
(3) Opera Phys. med. II. p. 8æ.

tat Ill. *Hallerus*, obstructiones glandularum atque hepatis hac via posse eliminari, præsente simul febre intermittente, saluberrimo subinde multorum morborum averrunco.

Sed hæc per transennam! ad descriptionem salivationis, propter præsentiam materiæ biliosæ enatæ, me nunc verto, de qua apud auctores nondum satis constat, an pro effectu salutari, vel noxio habenda. Occurrit autem iste casus in febribus biliosis vario modo. Adest enim vel in principio morbi, quod magnæ cruditatis indicium est; vel sub finem accedit, salutariter partem materiæ morbo demens.

Ab his diversa est salivatio biliosa anomala, quæ longe profusior est, et corpus fluidis exhaurit; nec tamen causam morbi imminuit. Minime ergo ista evacuatio critica, vel salutaris est dicenda. Dicta sequens casus confirmat.

Casus.

Vir 60 annorum, nullam suæ valetudinis curam gerens, atque simul herniosus, eo tempore, cum plures in vicinitate febre biliosa laborarent, primo colica biliosa atque ingentibus vomitibus est vexatus. Primo injectus est clyster; dein solita medicamenta anticolica ei sunt propinata. Cum autem vomitus non cessaret, atque herniæ causa hoc non fieri constaret: datum ei est emeticum, quod multa biliosa eduxit,

atque sic quievit dolor. Cætera autem medicamenta neglexit æger. Post aliquot dies accedebant salivæ continuæ sputationes. Cum linguam tenacissimo muco obductam viderem: dedi digestiva. Vix inceperat his uti, cum saliva parcior flueret. Suasi hinc, vellet ita pergere. Sed recusabat. Rediit hinc non solum molesta salivatio; sed appetitus etiam quotidie imminuebatur. Ægrotus id videns, denuo in digestivis atque rheo custodiam quærere incepit: neque spe est dejectus, fluxu salivæ iterum cessante. Mox vero cum ad pristinam securitatem rediret, morbus recurrebat, a quo nulla arte potuit liberari. Nam ægrotus tantam fluidorum depauperationem (nam sputa quotidiana adscendebant ad libram dimidiam) sine insigni virium jactura haud diu perferre potuit; et tabefactus tandem, accedente tussi, malo succubuit, a quo potuisset liberari, dummodo consiliis locum dedisset.

Huic quodammodo similem casum describit *Galenus* (1): *Quidam humorem repente expuit liquidæ bili in colore perquam similem, medium videlicet inter flavum ac pallidum*, (in descripto casu humor erat pallidus) *at nulla acredine infectum, atque ita quotidie majorem ejus quantitatem expuit, dein levi suborta febricula tabescere*

---

(1) Galen. in Libr. 4. de locis affect.

incipit. Prosper Alpinus (1), qui hunc locum excitat, addit: *vidi alium eadem modo sex mensibus, ac alium quoque diutius laborantem, igitur, qui primus nobis occurrit, initio quidem nihil mali habere, sed tandem pessime affici visus est.*

De stupore paralytico unius pedis ex causa biliosa.

Quanta mala ex præcordiis oriantur, quin et apoplexiam inde sæpius enatam esse, singulari diligentia atque eximia eruditione demonstraverunt Ill. *Schræderus* et Cl. *Koch* (2). Idem argumentum jam diu antea pertractavit immortalis *Boerhaavius* (3), quod etiam exemplis confimavit Perill. *van Swieten* (4).

Materiam atrabilariam autem in specie identidem in hanc causam abire, exemplo *Marcelli Malpighii* a *Baglivio* (5) scriptum traditum est.

Quæ cum ita sint comparata, cum nec nervorum origines in encephalo satis tutam, contra bilis rabiem, habeant custodiam: quis

---

(1) Prosper Alpinus de præsagienda vita et morte p. 520.

(2) In Dissertat. de Apoplexiæ ex præcordiorum vitiis origine. Gotting. 1767.

(3) Consultat. med. p. 65.

(4) Commentar. Tom. III. p. 264.

(5) Bagliv. Opera p. 681.

mirabitur, a capite remotiores partes, et nervos ex inferiore ventre oriundos, ab hac labe non prorsus immunes persistere?

Hoc, quod dixi, singulari casu comprobabo, quem in matrona 60 annorum et antea sana, 1778 observavi.

Integra et utroque pede satis libere utens, quondam hæc femina domum reliquit, et ad fontem salientem, juxta domum situm, aquam vitro hauriendi causa, accessit. Flectit dein genu, atque sic vitrum aqua repletur. Vult assurgere, sed ecce! non potest. Acclamat hinc perterrefacta, prætereuntes vellent sibi auxilio currere, et in domum ferre. Qui dicto obedientes, erigunt illam pede uno insistere non valentem; hinc sellæ impositam, domum portant. Primo sensit in hac parte vehementem dolorem, qui post venæsectionem, atque applicationem fomentationum calidarum, nec non post infusum Florum Sambuci, quod calide hausit, cito satis disparuit, remanente immobilitate in hac parte cum stupore conjuncta. Paulo post integrum crus atque femur tumescere atque frigescere inceperunt. In hoc statu primo accersebatur Chirurgus, qui varia, sed sine ullo levamine, tentavit. Cum ego vocarer, neque absconditam bilem statim subolerem: propinandas feminæ dedi varias Mixturas nervinas; nec non infusum Florum Arnicæ ad ductum Cel. *Collin*; externe autem epis-

pasticis cutis exulcerabatur. Sed hæc omnia erant irrita. Omnibus ergo vestigiis causam morbi latentem accuratius indagare incepi. Mulieris anxietatem autem; ejus inquietudinem; sitim; linguam impuram; tensionem ventriculi; obstructionemque ventris; et multa alia ad æquam animi lancem perpendens, atque audiens jam plures in hac domo febre biliosa antea jam fuisse correptos, et unum hoc morbo adhuc decumbere, similem causam, bilem nempe, etiam hic accusare non dubitavi. Mutatam hinc statim inivi methodum medendi, et victus rationem morbis biliosis accommodavi. Interdixi nempe lactis atque carnis usum, quibus ægra valdopere delectabatur. Propinata autem sunt resolventia, atque digestiva salina acidæ indolis; dein per quatuordecim dies utebatur medicamentis eccoproticis, junctis sub finem roborantibus, quibus ingens quantitas materiæ biliosæ educebatur. Vix ab hac acrimonia liberata fuit ægra: cum vires parti debilitatæ, panno quotidie fricandæ, et sensus motusque redirent, remanente adhuc per aliquod tempus debilitate totius corporis, quæ etiam corticis Chinæ usu postea est emendata, ita ut in præsentiarum satis laudabili sanitate fruatur.

De anxietatibus anomalis biliosis.

Non dubito fore plerosque, qui hoc loco de anxietatibus præcordiorum seorsim me disseruisse videntes, id superfluum, nec ordini satis convenienter factum censebunt, putantes, hac de re satis superque in parte hujus operis priori esse relatum. Nec his, qui ita sentiunt, nihil, præterquam quod natura polymorpha ita facere jusserit, regerere possum. Nam cum illa in producendis morbis admodum multifaria sit, neque iisdem legibus semper adstringi amet: multifariam etiam desiderat descriptionem. Hoc multis quidem in locis hujus tractationis est demonstratum; sed præsenti morbo magis adhuc comprobabitur. Videlicet durante eo tempore, quo febris biliosa popularis erat, sæpenumero, citra febrem, ex mera collectione materiæ putridæ biliosæ circa præcordia hærentis, tantas anxietatum turbas, et inexplicabiles animæ inquietudines enatas vidi, ut mortem ægrotantes, optime cæteroquin valentes, et muniis suis subeundis apti, vitæ præferre non dubitarent. Ab ejusmodi anxietatibus dilaceratus, et mentis quodam errore simul impulsus, guttur sibi præscindere tentaverat rusticus quinquagenarius, qui dein per sylvas atque per montes sanguine conspurcatus

vagabatur , et quemvis hominum aspectum fugiebat. Tandem magis dolo quam vi propinquorum coërcitus, curæ meæ est commissus, qui nil, detecta in eo hac materia biliosa, præter Mixturas salinas consuetas, quibus pauca grana tartari emetici admixta erant, opus habuit. In reliquis casibus mitius malum fuit, præsertim si sibi a cibis crudis, inflantibus, potu calido, atque vehementibus animi commotionibus temperarent ægrotantes. Præcipua incommoda erant hypochondria inflata, tumentia: vidi etiam totum ventrem, non secus ac in tympaniticis fit, tumidum ac durum; in nonnullis vesicam, in aliis alvum exonerandi sentiebantur molestiæ, et hi spiritum non nisi superne eructabant.

Insignis erat ad iram proclivitas, quin et in aliis magna tristitia. Somnus nullus, vel saltem admodum turbatus.

Quod ad pulsum vero attinet, admodum varius, durante paroxysmo, extitit; magnus erat in his, in aliis summe debilis. Venæsectio hinc erat res altioris indaginis, dubiique eventus. Neque congestiones sociæ (échauffemens) ita poterant curari. Hoc sibi proprium vindicat malum, quod robustissimum hominum genus infestet, et sæpe per aliquod tempus sine noxa possit tolerari. Quod si vero morbus à materia putrida oriatur: ancipitis eventus

est, et dicimus cum *Prosp. Alpino* (1) *omnem inquietationem perpetuo malam esse; verum, quæ vitio stomachi fiunt, hæ quidem etsi malæ sint; tamen nunquam per se solæ quicquam certi significant, de morte ac vita ægrotantium præsagienda.* Quando autem huic malo diu tolerato facies emaciata, atque mala respiratio, quod in Judæo semel observavi, accedunt: tunc mors ostia pulsat propter internam putredinem.

Transit cæteroquin morbus non curatus vel in ipsam febrem biliosam; vel in maniam; vel in tympanitidem; vel denique in hydropem. In juvene quodam erat morbus vere migratorius; anxietates excepit febris biliosa, quam mania secuta est, quæ tandem post aliquot septimanas, superveniente surditate, est curata. Quod restat, anxietatum causam materialem subinde circa præcordia hærere, jamdudum artis medicæ doctores egregie docuisse, vel me tacente, cuivis notum erit; neque ulteriorem iste locus desiderat demonstrationem. Requiritur tantum, ut evincatur, in his casibus materiam biliosam febrilem peccasse. Quod, cum à longa disputatione abhorream, sequenti adhuc comprobabo casu.

---

(1) De præsag. vit. et morte, pag. 168.

CASUS.

Anno 1778, mense aprili convenit mecum vir 52 annorum, robustus, antea semper sanus, de summis anxietatibus præcordiorum, nec-non de levi quadam tussi conquerens. Cum ante mortem uxoris, quæ reliquiis febris biliosæ erat extincta, et cujus discessum ægre admodum ferebat, talia nunquam antea senserat: incipientis ulceris pulmonalis metus illum prehenderat. Huic morbo variis medicamentis, quin et venæ-sectione, incassum obviam iverat; et nunc, cum illum viderem, in eo erat, alteram venam tundere.

In signa ulceris antecedentia atque præsentia autem inquirens, nec talia inveniens, (nam non antecesserant inflammatio, horror, motus febriles, etc.) longe aliam anxietatum causam subolere incepi, atque timui, ne saburra biliosa marem quoque irritaret, quæ feminam paulo ante jugulaverat. Convictus dein hac de re sum redditus, cum illum de diuturna alvi obstructione, atque de conatu ad vomendum conquerentem audirem. Statim illi, vellet alteram venæ-sectionem omittere, sed potius emetico, quod præscripseram, uti, autor suasorque fui. Adnuebat patiens quidem medicamentum sumere: sed, propter timorem latentis ulceris, hausit tantum medicaminis partem

dimidiam, quæ illi vix nauseam creabat. Jussi hinc sequenti die, cum illum viderem, metumque discuterem, integram portionem sumere. Pollicebatur etiam, se consilio pariturum. Sed quid evenit? Circa noctem, quæ diei medicinali antecedebat, evigilat, sentit se admodum nauseosum, vomitque vicibus repetitis, cum ingenti rejectione materiæ biliosæ. Sequenti mane, post quietam noctem, se allevatum sentiens, prodiit ferme sanus. Longe huic insomnia fuerunt feliciora, quam quæ *Publio Cornelio Rufo* acciderunt, qui, referente *Plinio* (1) *dormiens oculorum amisit visum, cum id sibi accidere somniaret.* Neque hunc ex hoste vulneratum pectus à vomica liberasset, quam sibi fingebat tantum, in quo tamen *Pheræus Jason* deploratus à medicis, propter vomicam, subito invenit medicinam.

Erat autem in hoc casu, ut cum *Tissoto* (2) loquar, *materia supra evacuationem* cocta in aliis casibus *infra evacuationem* cruditas peccabat.

De hæmorrhagiis ex causa biliosa.

Illust. *Schræderus* in *Academia Georgiana*, dum viveret, Professor medicinæ meritissimus

(1) Vid. *Plin.* hist. nat. lib. VIII. cap. 50.
(2) Loc. cit. p. 28.

et Archiater regius, auditores suos, referente cel. *Marcardo* (1), sæpe sæpius monuit: sese per experientiam persuasum habere, plurimarum hæmorrhagiarum causam, nisi ex aliqua stasi in visceribus hypochondriacis, quæ spasticas efficiat contractiones, in colluvie biliosa primarum viarum latere; nec, ubi hæc abundaverit manifeste, præsertim in febre, dubitandum vix unquam esse, quin accedentis forte fluxus sanguinei symptomatici culpa, magna ex parte vel unice in illa colluvie resideat. Confirmavit hoc assertum doctissimus dissertationis auctor, exemplo mulieris, febre biliosa decumbentis, et uteri hæmorrhagia, quamvis jam in ea esset ætate, ubi natura hoc tributum solvere jam jam desierat, tentatæ. Hujus asserti, experto medico digni, rectitudinem, epidemia Tecklenburgensis identidem novis exemplis confirmavit. Durante enim hac nostra constitutione epidemica, veteres morbi hæmorrhagici recruduerunt; ex aliis causis enati sunt aucti; et novi ex hoc fonte sunt enati. Menses præcipue id malum maxime experti sunt, qui mox erant suppressi, mox aucti, mox anticipantes. Vix omittenda annotatio, quod sub mensibus profusis sæpe sæpius febrem simul viderim accensam. De

(1) Vid. dissert. examin. rigor. malign. febr. Gotting. 1770.

vomitu cruento, nec-non de hæmorrhagiis narium symptomaticis dixi jam supra. Proximum est, de hæmorrhagiis anomalis sermonem facere. Loquar autem tantum de casibus insuetis, ut de hœmoptysi, mictu cruento, atque hæmorrhoidibus. Ne autem quis judicet, me alios casus non vidisse: provoco ad ingentem hæmmorrhagiam uteri, ad quam levandam circa mediam noctem sum vocatus. Nulla febris juncta erat, nec alia causa quam biliosæ indolis potuit detegi. Subacta hinc ea materia, cum sanitate mulier in gratiam rediit.

De hæmoptysi ex causa biliosa.

Hœmoptysis biliosa iracundum genus hominum maxime sibi vindicat.

Inter plures, qui hoc morbo decubuerunt, maxime ægrotavit femina ex gente judaica oriunda, cujus historiam morbi, quia quædam attentione digna, nec ubivis obvia continet, paucis depictam cum lectoribus communicabo.

Hæc femina, 32 annos nata, ad iram admodum proclivis, atque 6 infantum mater, artem medicam, antequam hœmoptysi tentaretur, ex me petiit. Laborabat autem ea tunc temporis tussi sicca atque ingenti pectoris oppressione, quæ ex male curata pleuropneumonia notha remanserant. Hæc videns, et de materiæ biliosæ fomite nil sciens, vomicæ cui-

dam latenti unice medicinam faciendam esse putavi. Præscripsi hinc species emollientes atque pectorales theiforma hauriendas. Sed ventriculus hæc recusabat, atque vomitu rejiciebat; neque quodammodo mutata medicamenta, propter augmentum anxietatum, perferri potuerunt. Quid quod! paulo post subortus est vomitus materiæ purulentæ, sanguine remixtæ. Ex hoc tempore ægra quotidie sanguinem tussi in magna quantitate rejicere incepit. Varia temperantia contra dirum hunc morbum me absque effectu bono hactenus tentasse, et ægrotantis statum de die in diem in pejus ruere videns, historiam morbi chartæ mandatam ad doctissimum *Fein*, medicum *Osnabrugensem* insignem, qui mihi pro sua humanitate, qua pollet eximia, sæpius à consiliis saluberrimis fuit, transmitti curavi, qui mixturam temperantem præscripsit, cui nitrum in ea quantitate erat additum, ut et alvum movere posset. Quamvis his per aliquot dies leniretur malum; recruduit tamen non solum dein, sed hæmoptysis etiam vehementior est facta, quæ autem mox spiritu vitrioli atque syrupo diacodii in aqua diluta sumptis, et à modo dicto medico laudatis, adeo est coercita, ut mox tempora quædam quieta morbus præstaret. Cum autem per vices recurreret: altius illum radicatum esse censui. Nec sane diu, neque in dissitis partibus quærenda fuit causa morbi

continens, materia biliosa ubivis in domo obvia non loquente, sed clamante. Nam vix aliquot septimanas laboraverat mater: cum quatuor ejus infantes febre-biliosa itidem corriperentur. In ipsa femina autem varia hujus colluviei extabant indicia. Linguam habebat nigerrimam, muco tenacissimo ne instrumento quidem cedenti, obductam; conatus vomendi continuos; et rejectæ materiæ bilis viridis erat admixta; alvus quamvis frequentibus clysteribus, nec-non tinctura rhei sollicitata, nunquam recte respondebat; et multa alia. Hæc nunc videns, mixturam tamarindorum cum nitro atque sale mirabili Glauberi præparatam haustui illi dedi. Quibus per aliquot dies sumptis, venter quidem mollescere incepit; sed de pelle nigra, linguæ adhærente, nihil plane secessit, nec sanguinis rejectio quievit, certo indicio, tenacissimam et à salibus vix ac ne vix quidem resolubilem materiam biliosam pituitariam in primis viis dominio uti. Cogitare hinc incepi de calomellis usu egregio. Antequam autem hoc medicamentum propinarem, tentavi adhuc alia, sed frustra.

Sumpsit ergo primo mane pulverem ex calomellis gr. II. Nitri depur. atque rhei aa. gr. XV. constantem; sumpta dein reliquo tempore diei mixtura temperante. Cum nil incommodi feminæ inde oriri viderem: admonui, vellet ita sequentibus diebus pergere. Vix aliquot dies

erant elapsi: cum quietiorem feminam viderem, quæ mihi etiam dixit, sputa sanguine haud amplius fuisse mixta, et se per ventrem tenacia quædam atque pessimi odoris ejecisse; quod ad linguam attinet, pellis decrescere videbatur. Suasi hinc diutius his medicamentis uti. Quæ ita per quatuordecim dies adhuc pergens, ab ingenti quantitate materiæ biliosæ, cum reditu virium atque bonæ carnis, est liberata, lingua interim reddita pura, nec hœmoptysi amplius molestante. Quid quod! post aliquot septimanas redierunt menses, antea suppressi. Sed cum inflicta pulmonibus vulnera singularem adhuc expostularent medelam, quam hæc femina propter varias domesticas occupationes, atque propter morbum infantum neglexit: fieri certo aliter non potuit, quam ut metus renasciturі mali suboriretur. Attamen semel tantum suæ negligentiæ luit pœnam.

Recte ad historiam morbi et ad præcedentia attendens, non dubitabit primum morbum inflammntorium pleuropneumoniam anomalam biliosam nominare; unde reliqua in historia morbi suppeditata possunt explicari.

De mictu cruento ex causa biliosa.

Hujus morbi causa 1777 consilium medicum ex me petiit vir 58 annorum, temperamenti cholerici, qui in antecedentibus annis frequen-

ter laboraverat erysipelate, à quo tamen jam ante quinquennium per seri lactis usum erat liberatus.

Morbi præsentis natura autem talis erat. Primis morbi diebus vix alia incommoda ægrotus sensit, quam quæ ex mala digestione oriri solent. Interdiu hinc satis bene valebat, sed noctes erant admodum inquietæ, habebatque tunc temporis continuum nisum ad matulam. Postea vero, cum non sine molestia atque dolore redderetur urina: percepit sanguinem illi esse admixtum. Vocatus ego, cum pulsum justo frequentiorem sentirem, sitimque naturali majorem viderem malum ex meris congestionibus ortum credidi; quibus, temperantibus, et præcipue spiritu vitrioli ex aqua sumpto, mederi æstimabam. Sed isti malo hactenus adhibita remedia haud paria esse, ex augmento morbi non solum patebat, sed etiam ex motibus febrilibus auctis. Habebat insuper linguam impuram, biliosam; saporem amarum, nauseosum; frequentes ructus; varia circa ventriculum incommoda; alvum obstructam; et multa alia. Quæ nunc videns, non potui non bilem non solum accusare, sed metus etiam est subortus, ne febris biliosa accenderetur. Propinandos hinc illi dedi pulveres salinos, incidentes atque temperantes; et victus rationem dein ita institui, uti febre biliosa decumbentibus fieri debet. Quibus per

48 horas adhibitis, statim sanguinis fluxus quievit. Pergebat tamen ægrotus adhuc per aliquot dies hoc remedii genere uti, qui dein, haustis laxantibus, ingentem quantitatem saburræ biliosæ per alvum reddidit, et hactenus optima sanitate fruitur.

Anno præcedente 1779 medicinam feci murario cuidam hæmorrhoidario, cui iste fluxus sanguinis in mictum cruentum non alia ex causa est mutatus, quam propter præsentiam istius materiæ, quam toties nominavi. Eadem aderant incommoda, quæ in præcedenti casu sunt commemorata; quin et iisdem remediis est restitutus.

Tertius denique ægrotus neglexerat mictum cruentum ex eodem fonte enatum. Incidit hinc in phthisin atque tabem corporis; tandem, superveniente profusa hœmoptysi, subito è vivis est sublatus. Ultimis suæ vitæ mensibus meum efflagîtavit consilium; sed nimis sero. Fomitem biliosum adhucdum præsentem multifaria, ex lingua et reliquis desumenda indicia, satis superque demonstrabant.

De hæmorrhoidibus ex causa biliosa.

Restat, ut de hæmorrhoidibus loquar. Variis incommodis, ex bile oriundis, jam anno 1777 tentatus fuerat vir quidam 31 annos natus, vitæ mobili deditus, et vitam sobriam agens,

à quibus autem et medicamentis et convenienté vitæ regimine est liberatus, reliquo tempore valetudinem suam notitia sui corporis atque observatione sustentans. Sequenti anno renascens malum quidem sentiebat, sed propter occupationes publicas, et quia multum temporis in itinere consumebat, mature morbo obviam ire impediebatur. Primum ergo, quod illum vexabat, erat tussis biliosa, cui varia incommoda circa ventriculum adjungebantur; dein apparebant hæmorrhoides tumentes atque dolentes. Utebatur pulveribus ex cremore tartari atque floribus sulphuris præparatis; et tumores aliquoties, quia tempestas non permittebat hirudines colligere, lanceola aperiebantur. Quamvis ita egregie allevaretur æger: tumores tamen semper subito renascebantur, qui dictam operationem denuo postulabant. Hæc videns, de evacuanda materia biliosa serio cogitare cœpi. Mixturam itaque digestivam atque laxantem parari jussi, alternis horis cochleatim sumendam. Materiæ peccantis autem tanta erat visciditas, ut aliquot libras hujus medicaminis opus haberet æger, antequam ab omni materia liberaretur; ipso autem liberato, tumores hæmorrhoidarii evanidi sunt redditi, nec unquam postea redierunt.

De obstructione urinæ ex causa biliosa.

Singularem etiam obstructionis urinæ casus

desiderat expositionem, hic non omittendam.

Duplici autem modo illam ortam vidi. Prima est ea, quæ fit, quando materia biliosa mucosa, metastatice ad vesicam urinariam delata, stagnando tantam visciditatem acquirit, ut per urethram ferri non possit, quin etiam hanc aperturam claudat. Alter casus etiam oritur, quando viscida inquinamenta biliosa intestinum rectum adeo distendunt, ut dilatatum urethram comprimat.

Dicta exemplis confirmabo:

CASUS I.

Vir circiter 88 annorum, non obstante hac vetustate, satis laudabili sanitate fruens, subito inter concionem sensum quemdam incommodum circa regionem pubis percepit; quem, si urinam reddidisset, cessaturum sperabat. Concione finita, quam cito potest, vesicam levandi copiam frustra quærit. Nam guttatim urina tantum emittitur, dolorem non levans. Domum redux, regionem pubis pelle quadam (nam fuit venator) tegit calide. Sequenti die nondum restitutus, misit filium me consulturum, cui medicamenta quædam antispastica, et in et externe adhibenda, cum admonitione dedi, ut clystere venter apertus servaretur. Sed cum hæc frustra hactenus essent adhibita: vocabar die morbi quarto. Lingua erat mu-

cosa, biliosa; sitis ingens; motus febriles aperti; genæ coloratæ; uber sudor, superiores partes tegens; venter inflatus, quodammodo durus, pressus tamen haud magnum dolorem excitans; alvus obstructa; atque conatus ad vomendum: urina ferme plane suppressa. Propter metum internæ inflammationis clyster emolliens, qui excrementa quædam dura eduxit, est positus; et venter, post applicationem catheteris, fomentis validis tectus, cum interim mixtura temperante uteretur æger. Quamvis inde quodammodo levaretur catheter tamen quovis die debuit repeti, qui facili negotio applicabatur. Die decimo autem ad me venit chirurgus, consilium ex me quærens, quid in præsentiarum faciendum, cùm frustra catheterem applicasset. Una nunc cum chirurgo ægrotantem accedo, atque miror, instrumentum facili negotio posse applicari, sed nullam urinam sequi. Mutamus hinc instrumentum: nec meliori eventu id facimus. Circa vesperam iterum tentamus operationem; sed absque effectu bono. Abeuntes, nos sequenti mane redituros, pollicemur. Redeuntes ægrotum adeo debilem invenimus., ut moribundo ferme similis esset. Instrumento hinc illi auxilio currere tentavimus quidem, sed irritum opus egimus.

Dolentes nunc casum senis, mortis rapinam sese jam jam æstimantis, reliquimus miserum Deo committentes; nec æstimantes, in tam

debili corpore , istam operationem, quæ à *Flurandio* nomen habet, et quæ à cel. *Schmuckero* laudibus est elata, applicari hic posse.

Sed quid accidit ? Circa vesperam sentit ægrotus ingentem mingendi conatum et gaudet guttulas quasdam ex urethra profluentes videre. Comprimit hinc ventrem, et feliciter sic liberatur ab ingenti quantitate materiæ viscosissimæ, albumini ovi simillimæ.

Hac materia liberatus æger statim convalescere incepit, pervenitque ad id tempus, quod medicinæ locum præstat. Sumptis enim laxantibus, quæ multa biliosa eduxerunt, ad pristinam sanitatem rediit senex, cui

Nunc opus est succis ; per quos renovata senectus,
In florem redeat, primosque recolligat annos (1).

CASUS II.

Alter ischuriæ casus sequenti sese habet modo.

Anno 1777 vocabar ad mulierem gravidam habitam, et per nonnullos dies obstructione urinæ laborantem. Accedens inveni chirurgum; ex quo percepi, obstetricem ante horam avocatam censere, decumbentem hanc haud diu à partus tempore abesse, et à capite prævio urinæ fluxum impediri. Percontanti, quænam

(1) *Ovid.* metamorph.

auxilia

auxilia essent adbibita, responsum tulit chirurgus: se per clysteres repetitos atque acres, urinæ viam aliquoties aperire frustra tentasse, quia medicamenta, subter in alvum missa, statim regurgitarint; in præsentiarum autem emollientia in forma cataplasmatis ventri esse imposita. Ex decumbente ipsa autem, cujus ventrem æqualiter tumidum et in inferiore parte dolentem inveni, dein audivi, se jam per aliquot retro septimanas varia incommoda circa ventriculum observasse, et alvum nunquam recte respondisse, quin in hac integra septimana illam tantum exonerasse. Linguam habebat impuram; biliosam; sitim ingentem; nec-non apertos quosdam motus febriles.

Antequam uteri statum gravidum explorarem: vesicam ab urina admodum distentam, liberandam esse putavi, quia istud à chirurgo hactenus erat omissum. Dein post eductionem magnæ quantitatis urinæ fœtentis, digitos, uterum explorandi causa, vaginæ immisi. Animadverti autem statim in cavitate pelvis media corpus quoddam durum, capiti infantis non absimile, omnemque hanc cavitatem ita implens, vel partes ita committens, ut ne digiti ungui quidem via pateret, istuc hærere. Cum autem uteri orificium nullibi inveniretur: haud diu hæsitavi, illis pensitatis, quæ ex ægra audieram, hunc tumorem pro distensione intestini recti habere, ex induratis orta inquina-

mentis biliosis, hic stagnantibus, et urethram comprimentibus.

Propinandam nunc illi dedi, quia clysterum atque aliorum instrumentorum usus nullum hic inveniebat locum, mixturam temperantem, cui in magna quantitate addita erant sal mirabile Glauberi, nec-non egregium istud resolvens sal ammoniacum. Quibus per aliquot horas sumptis egesta est ingens quantitas materiæ biliosæ, teterrime fœtentis; disparentibus dein tumore ventris, et suspicione graviditatis.

Huic quodammodo similem casum describit *Schenkius* (1).

De morbis mentis et quidem de morositate ex causa biliosa.

Ingentem miseriarum numerum descripsi, quas materia biliosa tanquam ex pyxide pandoræ in corpus humanum effundit; proximum nunc est, ut de functionibus animalibus læsis sermo fiat. Nulla autem est animæ facultas, quam non, durante febre, vel post febrem male curatam, inde viderim alteratam, auctam, quin et imminutam, uti jam supra nonnullis locis annotavi. Imo omnes fere libri medici sunt adeo repleti talibus observationibus, ut

(1) Lib. III. p. 399.

non opus sit, exempla adferre. Nam si consulantur auctores, scribentes de morbis acutis, male sanatis; statim patebit, quod uni ægro hoc, alteri illud genus delirii ex morbo remanserit, licet in cæteris recte sapiant.

Sed exempla etiam sunt, historica fide comprobata, quod homines propter præsentiam materiæ biliosæ, citra febrem, identidem deliraverint, uti hoc evenit *Fernelio*, insigni gallorum et medico et philosopho. Sed quid multis opus, cum jam diu antea ab *Aretæo* sit observatum: *si melancholia in præcordiis residet, causam circa septum transversum immorari; et bilem vel supra vel infra prorumpere* (1). Dixit hinc *Boerhaavius: lædit bilis atra organum sentiens, imaginans et impetum faciens ut penitus invertatur* (2).

Operæ hinc vix erit pretium, toties observatis novum exemplum addere, nisi forsan unicum singularis morositatis, quam in homine 42 annorum, tum temporis observavi, cum ejus uxor febre biliosa, cui medicinam faciebam, graviter decumberet.

Non quidem ab hominibus, ut verbis *Aretæi Capp.* (3) utar, fugiens, de inanibus conque-

---

(1) *Aretæus Capp.* lib. I. cap. V.

(2) *Boerhaav.* de morb. nerv. p. 438.

(3) Vid. l. c. p. 65.

rens, vitæ maledicens, mortem expetens; stupore fatuitateque captus, omnium ignarus, suiquemet immemor in morem bestiarum ferme vitam agebat. Sed exiit illi animi tenor in rigorem torvitatemque duram et inflexibilem, quæ quoscumque affectus humanos adimit, et in totius generis humani odium evehitur. Pulsus erat tardus, debilisque; lingua impura: venter quoad tactum durus; alvus obstructa. Quævis oblata primis temporibus spernebat; sumpsit tamen dein pilulas eccoproticas, atque pauca alia. Tandem inferius descendebat bilis, atque convaluit.

Sed hæc hactenus! plures morbos biliosos anomalos non febriles utique recensere possem, sed nolo limites propositos transvagari, quamvis metus me teneat, ne istud *Ippalli Pythagorici philosophi: nondum nihil fecisti; nam nondum tibi potest invideri*, acclametur. Hinc nomina tantum morborum indicabo, in quibus simile fermentum biliosum peccavit.

Est autem primo tabes quædam corporis, quæ in hominibus oritur, ad hunc morbum dispositis, ex diu tolerata materia biliosa mucosa. Juvant in hoc morbo gummata ferulacea, præcipue gummi ammoniacum; sulphur antimonii auratum liquidum, elixirium vitrioli, etc.

Scorbutum in leviori gradu inde etiam vidi enatum: quod nemo mirabitur, qui supra

laudatam dissertationem clar. *Dinckgreve*, in qua similitudo scorbuti et febris putridæ evincitur, quæque theoriæ morborum biliosorum anomalorum haud contemnendum argumentum addit, aliqua attentione legerit.

Congestionibus, quas échauffemens nuncupant, vix aliter quam per eductionem materiæ biliosæ, et per roborantia, potui mederi.

Saburram biliosam identidem menses supprimere, graviditatemque simulare, dictum jam supra est. Vidi puellam, criminis furtivæ graviditatis accusatam, per supervenientem diarrhœam biliosam, ab hac suspicione liberatam.

Sed quis omnes morbos enarrabit, qui ex sordibus oriuntur extra vasa circulationis depositis; ibique ob inertiam solidorum congestis, spontanee putrescentibus, et putrescendo omnia laxantibus, flatusque generantibus, qui, laxis jam jam fibris non coerciti, eas ultra tonum distendunt, vicina obstruunt, comprimunt, lacerant? *Inde languent*, inquit cel. *Tissot*, *gastrici systematis functiones; imperfecta remanet digestio, imperfecta ergo et nutritio; nec eadem inde sanguinis quantitas conficitur, nec idem ille elaboratus sanguis* (1).

---

(1) Vid. *Tissot*, loc. cit. p. 101.

De profilaxi.

Morborum biliosorum omnium, quæ nosci potuerunt, naturæ generatim membratimque ita se habent.

Tractatui autem vix pretium esset habendum, nisi etiam diceretur, quibus auxiliis morbo veniente possit occurri; primo quia in contemplatione naturæ nihil quidquam videri potest superfluum; deinde, quia nondum plane deferbuit malum, atque in venis nonnullorum adhucdum agitur venenum; tandem etiam, ut cuilibet licitum sit scire, quid saluti suæ maxime opus.

Sed timeo, multos litterarum secreta callentes, relata jam fastidio damnasse; brevibus hinc tantum ad deliberandum proponam, quænam mihi ipsi, sæpius a materia biliosa inquinato, contra hunc morbum dedere securitatem, ut ita simul a crimine me possim liberare, quod medicis plerumque et præcipue a *Plinio* injuste imputatum deprehendo, utpote qui eos *periculis alienis discere, et experimenta per mortem agere* (2), modo tanto viro indigno accusat.

Multoties medicamenta specifica tentavi, sed persuasum nunc habeo, quodcumque etiam

---

(2) *Plin.* hist. nat. lib. NXIX. cap. VIII.

magnis laudibus celebretur remedium, numquam satis tutum esse, nisi exquisita diæta simul adsit. Ex omnibus autem regulis diæteticis ad bilem efficacissima est, quæ patientiam atque temperantiam jubet. Patientia opus est, quia nunquam, nisi truncatam velimus habere medelam, statim cocta redditur materia, quæ tempore potius eget. Temperantiam autem ideo debemus adhibere, quia sine illa tantum semper morbo accedit, quantum per medicamenta illi adimitur.

Ista autem moderatio non solum versatur circa eas res, quæ ore hauriuntur, sed etiam circa multa alia. Aëre, ergo, hunc morbum timens, puro debet uti; animi vehementes commotiones, et præcipue iram vitare; corpus semper ita movere, ne propter otium torpeat nimis, vel propter intensos labores vigescat supra modum; membra contra frigus atque aërem humidum bene quidem velare, sed tamen sedulo cavere, ne diffluant sudore. Præstat hinc omni aëri atque anni tempori adsuescere; et mox in agro esse, mox in urbe, sed sæpius ruri secundum monitum *Celsi*. Maxima cura autem alvi est habenda. Adstrictam solvimus cremore tartari; sale seignette, vel aliis; fusam vero coercemus sale ammoniaco, vel rheo. Abstinemus autem a purgantibus. Quantitas cibi sumendi unice ex naturali appetitu determinanda; atque vitanda, quæ supra satie.

tatem sumpta lædunt; nec non ea, quæ sola luxuria excogitavit. Alienus cibus est, qui intus facile corrumpitur, jurulentus atque pinguis. Ferme omnis caro; lac; caseus; ova; placentarum genera; nec non oleosa atque dulcia cibis tunc debent subtrahi. E contrario juscula acide indolis, atque olera tenera, nec non multa alia, quæ supra laudavi, optime vertuntur in cibum. Aqua limpida potum optimum præstat; et vinum, quod *Staphilus* docuisse fertur, aqua diluendum, vel saltem modice tantum adhibendum. Quod ad vinum adustum autem attinet: de eo valeat lex *Carthaginensis*, quæ vinum prohibet; minime vero *Cretensium*, aliorumque usus dissolutus probetur.

Quæ dum aguntur: lingua sæpe inspicienda, laudandaque ea, quæ ab impuritatibus munda est reddita.

Durum quidem hoc videri posset illis, qui a prisca simplicitate, quam in germanis populis eximie laudat *Tacitus*, longissime deflexerunt, neque in *cibis simplicibus*, *agrestibus pomis*, *recentibus feris*, *aut lacte concreto acquiëscere* consueverunt.

At negligentia pœnam fert, et vincuntur homines malo: cum in abstinentia e contrario vera atque certa contra hunc morbum adsit securitas.

TANTUM.

Duorum infantum mortis causa per anatomen detecta.

Cel. *Schelhammerus* olim dixisse fertur : *quæ ad scientiam medicam parum vel nihil faciunt, soleo negligere, aut certe non magni æstimare.* Recte ita quidem magnus vir, nisi etiam, cujus criminis accusatur a cel. *Timmermanno* (1), ad quoscunque lusus naturæ hoc assertum extendisset. Nam cum istis ita sæpe res est comparata, ut morbum identidem incurabilem reddant, cujus notitia tamen medico omnino necessaria erit, siquidem ex sententia immortalis *Boerhaavii* æque magnus medicus est, qui incurabilem morbum bene distinguit, ac qui sanabili medicinam facere callet. Fuerunt hinc omni tempore indefessi naturæ perscrutatores, qui etiam id diligentissime rimati sunt, quod longissime a naturali discedit. Provoco tantum ad *Schenkium* atque *Bonnetum*. In nostris temporibus autem ista mira naturæ optime pertractarunt ill. *Timmermannus*, atque Cl.

---

(1) Vid. Diss. de notandis circa naturæ in humana machina lusib. Duisburg. 1750.

Insfeldt in dissertatione de *Lusibus naturæ* (1).

Sed cum tam parum ab his, quorum opera eum in finem evolvi, quam etiam a *Plinio*, qui tamen dixit : *concretis quosdam ossibus ac sine medullis vivere accepimus* (2), intestinorum tenuium atque crassorum defectus sit annotatus : operæ erit pretium, singularem illam intestinorum deformationem, cum vita infantum coëvam, quam ante aliquot annos in defuncti infantis cadavere, per sectionem anatomicam detexi, hoc loco describere et oblivioni eripere.

Antequam autem ad descriptionem horum infantum me accingo, monendum habeo, quod utrique infantes ab una eademque matre, interpositis triennio atque tertio infante, qui adhuc vivit, sint enixi.

Vix primus infans fine 1774 lucem mundi adspexerat : cum statim, quamvis legitimo tempore erat natus, justo debilior esse videbatur, quod autem magnæ quantitati aquarum muliebrium, in quibus submersus fuerat, tributum fuit.

Sed cum ista debilitas in sequentibus diebus magis adhuc cresceret, atque infans omnia vomitu rejiceret, neque alvus per clysteres

---

(1) Lugduni Batav. 1771.

(2) Plin. Hist. natur. lib. VII. cap. XVIII.

sollicitari potens esset : aliam latentem causam subolere incepimus. Tentavimus hinc varia, quæ continuum vomitum sedarent ; vires reficerent ; alvum apertam redderent. Sumpsimus mox lenia laxantia e. g. Electuarium de Manna; vel Syrupum de Cichorio cum rheo ; mox Saponem venetum ; mox antacida ; mox etiam lenia opiata, junctis suppositoriis atque clysteribus, nec non balneis ; sed irrita erant omnia. Sugere impotens infans, atque vix ossibus hærens e vivis discessit die sexto, qui postero die terræ est commissus.

Alter infans paulo robustior, natus mense decembri 1777, mammas secundo jam die arripere tentavit, multumque spei injecit. Cum meconium autem non descenderet per alvum : statim illi datus est syrupus de Cichorio cum rheo, quem autem statim vomitu rejecit. Applicatum hinc illi est suppositorium ; dein clyster ex lacte atque melle est injectus, qui etiam aliquoties est repetitus, sed non alia, quam recto intestino immissa, redierunt. Solvebatur hinc pauxillum saponis veneti in sero lactis dulci ; cui syrupus de Cichorio atque rheo addebatur, quod infanti per vices propinabatur. Sed hoc etiam usu erat destitutum. Nam ne ea quidem ventriculus retinebat, quæ sugendo acceperat. Vires hinc infanti, priori simillimo, de die in diem decreverunt, qui nec ultimis diebus sugere valebat. Suboriebatur

hinc metus priori similis fatalis eventus. Nec timor inanis erat, flammula vitæ die sexto extincta.

Ardebat nunc animus, tam absconditi morbi causam scire, quam nulla conjectura consequi poteram. Et sane ne Oedipus quidem talia cogitasset, quæ culter anatomicus post mortem detegebat.

Venter erat tumidus atque quodammodo, præsertim in regione ventriculi inflatus; reliquis partibus macilentis, flaccidis, atque sine carne.

Incisis integumentis abdominalibus atque peritonæo, statim protrudebatur intestini pars inflata, quam pro colo distento habebam; sed majori plaga facta, revolutisque integumentis, ut situs viscerum posset inspici, multo magis hoc, quod inflatum erat, prominebat; quin etiam solum tantam ventris cavitatem implebat. Nam, ea paulo elevata atque remota, nullibi inveniebam longum illam intestinorum canalem, multis gyris insignem. Statim hinc percepi, a more consueto hic naturam deflectere, et attentione opus esse. Attendens nunc ad id, quod distentum erat, non statim potui distinguere, an ventriculus vel colon transversum esset. Superabat autem paulo longitudinem ventriculi, et in diametro æquabat vesicam suillam aëre distentam. Hanc partem diutius dein adspiciens, detexi chordam quandam

albam linearis crassitiei atque latitudinis, quæ isti modo descriptæ parti in ea directione atque situ erat adnexa, quam omentum majus in relatione ventriculi habere solet. Putabam hinc in principio vermem esse, cui admodum similis erat. Quid quod! ista similitudo adhuc magis crescebat, cum viderem hanc partem, quam chordam dixi, ab utroque latere ad cavitatem pelvis infimam deferri. Nam hic detexi glomer quoddam multis gyris implexum, longissimum, atque tenue, in omnibus plane vermi simillimum. Deserui autem nunc hoc glomer eo animo, ut antea naturam partis distentæ eruerem. Mox autem apparebat, ventriculum atque duodenum in tam vastum atque amplum corpus abiisse. Sed nunc quærenda erat ratio, cur fluida in his partibus contenta, non in ventris cavitatem abiissent, quam positam inveniebam in clauso infimo ostio intestini duodeni. Erat enim duodenum eo loco, ubi in statu naturali per mesocolon reptans cum jejuno committitur, abruptum, tumidum, durum atque concretum. Neque videbatur huic parti unquam jejunum intestinum adnexum fuisse. Nunc rei dubiæ lux quædam affulsit. Adducebar enim statim ad credendum, glomer antea descriptum, nihil aliud esse, quam intestinula a vehementi distensione reliquarum partium in hunc locum protrusa. Neque opinio me fefellit, statim detecto in-

testino recto. Proximum nunc erat, hoc glomer evolvere, atque intestinum jejunum quærere: quod etiam in infima parte pelvis situm, atque ita acuminatum inveni, ut crassam acum latitudine non superaret. Dum itaque omnibus vestigiis glomer sequerer: detexi etiam illam chordam, quam supra, colon transversum simulare dixi, pro colo habendam esse. Et ita quidem præternaturalis intestinorum conditio erat comparata! Similem casum frustra apud *Timmermannum* atque *Insfeldtium* quæsivi. Proxime huic accedunt observationes, quas Cel. *Roedererus* in Programmate (1). *Observationes ex cadaveribus infantum morbosis* sistente prodidit.

Reliqua viscera erant sanis simillima, nisi forsan hepar ingenti magnitudine peccaret. Sed memini, beatum *Meckelium*, optimum meum Præceptorem, sæpius monuisse, hoc in neonatis haud insolitum esse. Sed hactenus anatomia!

Quamvis primi infantis cadaver non secuerim: dubitandum tamen non est, in eo similem perversam structuram partium non peccasse, quam in posteriori culter anatomicus detexit. Nam phœnomena in utrisque, ut ovum ovo, erant similia: sive ad continuos vomitus, vel ad obstructionem alvi, vel denique ad diem

(1) *Gottingæ*, 1758.

mortis attendas. Memorabile sane, quod et infans, cujus descriptionem dedit Rœdererus, itidem sextum diem non supervixerit. Quod restat, Physiologis hanc totam observationem perpendendam trado; et præcipue illis, qui statuunt, infantem in utero materno per succum amnii nutriri. Nondum per indefessos anatomicorum labores, *Halleri* præsertim, vasa lactea in ventriculo, quin et in duodeno potuerunt detegi. Quod si illa desunt: nutritio in his infantibus, sane per os, impossibilis fuit. Sed non ulteriori refutatione opus habet hæc res, quæ egregie a Cl. *Herm. Vogelio* ex variis argumentis est rejecta in *Commentatione physiologica, qua fœtum in utero materno non liquore amnii, sed sanguine per venam ad venam umbilicalem advecto nutriri ostenditur.* Gottingæ 1761.

FINIS.

INDEX.

De

FINIS INDICIS.

elles règnent ordinairement, & où elles ſont le plus à craindre.

C'eſt le modèle que la plûpart des Auteurs, qui ſe ſont depuis occupés de la Médecine militaire, ont tâché d'imiter; & il eſt certain que, dans le nombre, il y en a quelques-uns qui, non-ſeulement y ont réuſſi, mais qui ont encore enrichi le ſujet de pluſieurs connoiſſances: tels ſont, *Home* (*s*), *Monro* (*t*), *Brocklesby* (*u*), *Lorentz* (*x*), &c.

Ainſi, nous commençons à avoir un

(*s*) Medical facts aud experiments. London, 1759. 8o.

(*t*) An account of the diſeaſes wich were moſt frequent in the briſtish military hoſpitals. In Germany From Januati, 1761, to march 1763, to wich is added, an eſſay on the means of preſerving the health of ſoldiers, and conducting military hoſpitals. London, 1764. 8°.

(*u*) Œconomical and Medical obſervations from the year 1758, to the year 1763, Incluſivély tending tó the improvément of military hoſpitals, and to the cure of camp diſeaſes incident to ſoldiers, &c. London, 1764, 8°.

(*x*) Morbi deterioris notæ Gallorum caſtra trans Rhenum ſita, ab anno 1757 ad 1762, infeſtantes. Seleſtadii, 1765, 8°.